

LIBRARIÆ COL LEGII
MAIOR CRACOVI



Chrysostomi Sermones



SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI SERMONES IN EPISTOLAM DIVI PAVLI AD PHILIPPENSES

MVLTO ET PLENIORES, ET EMENDATIORES quàm antehac impressi fuerint.

Flaminio Nobilio Interprete:

Notationes in eiusdem Patris sententias, quæ aut interpretis, aut Exemplarium uitio pias lædere aures possunt.

D. Basilij Magni Epistolæ duæ.

Beati Maximi Monachi, & confessoris Sermo ad pietatem exercens.

Ad Sanctissimum Patrem nostrum Gregorium XIII.





CVM LICENTIA SVPERIORVM.

ROMÆ Apud Iosephum de Angelis.

M. D. LXXVIII.



GREGORIO XIII.

PONT. OPT. MAX.

Flaminius Nobilius

Sacrosanctos pedes osculatur.





VOD *facere capitales, atq; immanissimi hostes solent, ut si fōtes, quibus aduersarij ad uitam tuendam vtuntur, auertere cuniculis non possunt, veneno inficiant, ac pestilentes reddant; id tempestate nostra ab improbis, sceleratisque hominibus, qui bellum omni imbutum odio sanctæ Dei Ecclesiæ intulerunt, omniaq; humana, ac diuina iura peruerterunt, haud paulo maiore in re uidemus repræsentatum. Monumenta enim sancto*

rum Patrum, è quibus ſalutaris, iucundiſſimuſq. animorum cibus peti & poterat, & ſolitus erat; quæ fidem confirmabant; quæ ſpem, pietatem, iuſtitiam, liberalitatem alebant; quæ in ſecundis rebus humilitatem, in aduerſis patientiam instillabant; quibus libidines minuebantur, magnæque fiebant uirtutum omnium acceſsiones, cum nobis eripere hæretici nequirent; ita aut deprauãdo, aut male uertendo, aut ſcholijs obſcurando, atque in alienos ſenſus detorquendo polluerunt, ac macularunt, ut ſine magno diſcrimine tractari vix poſſent; idcircoque eorum lectio neceſſariò propemodum Chriſtianis populis interdiceretur. Quæ tamen ex re, ut impuri illi, ac nefarij non tam noſtri, quàm religionis, & pietatis hoſtes magnam voluptatem, magnumque ſui conſilij fructum capiebant; ita piorum hominum vulgò graues quærelæ audiebantur deſiderio tabeſcentium, optimoque illo & ſolatio, & pabulo ſe priuatos uix ferentium. Nec vero ſummi Pontifices, qui panem eſurientibus frangere non minimam muneris ſui partem eſſe intelligebant, huic rei defuerunt. Multos enim iam annos eorum iuſſu aliquot S. R. E. Cardinalium,

nalium, quorum præclara uirtus, & eruditio lucet quasi diuinum aliquod lumen, aliorumque hominum doctrina, ac pietate præstantium in purgandis libris uersatur industria. Ceterum cũ propter uoluminum multitudinem, ac uarietatẽ res tardius procedere uideretur; tu B. P. qui nullam de humano genere benemerendi occasionem remittis, omnibusque laborantis Reipublicæ partibus, quantum in te est, mederis, hac quoque in re nihil tibi omittendum putasti, quò ad exitum quàm citissime perduceretur, Itaque cum multa alia eo pertinentia prouidisti; tum me, de cuius diligentia, ut confideres, amplissimorum Cardinalium Ioannis Moroni uiri, & mea, & omnium laudatione longe maioris, Guglielmique Sirleti uiri optimi, & optimarum artium principis testimonium fecerat, conduxisti; qui sanctorum Patrum uarios codices legerem, conferrem; quae aut deprauata, aut male conuersa, aut scholijs peruersa deprehendissem, notarem, & ad amplissimos huic rei præpositos Cardinales referrem. Quòd si maximis laudibus Pontifices illi sunt commendati memoriæ hominum sempiternae, qui bona Ecclesiae terrena ab iniustis possessoribus

occupata recuperarunt; neq. tu certe mediocrem gloriã consequeris, qui huncc œlestem Ecclesiæ thesaurum iam prope alienatum restitueris. Ego uero, quod pietati, ac religioni, quod sanctissimæ auctoritati tuæ, quod eorum officijs, qui tibi de me testimoniũ dederunt, deberi puto; illud ausim polliceri, te si minus eruditionem (non enim me latet, quàm ea sit exigua) at certe uoluntatem, studium, conatusq. meos probaturum. Cumq. ea quæ potero, attulero, quod non potero, tuæ te humanitati condonaturum spero; quæ quidem humanitas summæ integritati, innocentiæ, prudentiæ coniuncta numquam non perspecta est; sed tamen in Pontificatu, tamquam optimo in lumine collocata totam se patefecit, mirabilesque sui amores excitauit. Placuit uero ijs, quos dixi, selectis Cardinalibus, ut primum in latissimo, ac feracissimo D. Jo. Chrysostomi operum campo diligentia, studiumque nostrum excurreret. Ea quinque voluminibus comprehensa circumferuntur, quorum operum nonnulla sunt B. P. quæ alium potius quemlibet, quàm uirum illum sanctitate, eruditione, eloquentia præstantissimum, auctorem habent. Huiusmodi est opus imperfectum in Euangelium Matthæi,

thæi, & pleræque Homiliæ in psalmos; ac de alijs etiam argumentis; quæ incerto interpreti adscribuntur. Id cum ex eo, quod græcè non habentur, tum ex sententiarum, stylique dissimilitudine, alijsque præterea firmissimis coniecturis deprehendi non difficulter potest. In his, præcipue autem in opere illo imperfecto, nonnullæ extant sententiæ, quæ (fortasse, quòd in eo nonnulla ab hæreticis sint deprauata, ablata, inculcata) partim hæreticæ sunt, partim ab hæresi non longe absunt: tametsi aliæ quædam & piæ & graues, atq. à sanctis Patribus nonnunquam vsurpatæ non paruã scriptis illis attulerint auctoritatem. De cæteris autẽ, quæ uerè Chrysostomi sunt, ita sentio, aliquot quidem locis ea ab Hæreticis hominibus, qui in latinum sermonem conuerterũt, de industria esse deprauata, sæpe uero interpretis inscitiam substinere omnem culpam: uerum multa etiã in græcis codicibus mutilata sunt, pluribusq. & magnis referta mendis; quæ ex manuscriptis exemplaribus, potissimum Vaticanis, & ijs, quæ Illustrissimus Cardinalis Syrletus correxit, restituenda erunt. Ego, quod mihi munus assignatum erat, omnia Chrysostomi opera perlegi: & quæcunque mihi in his

 aut

aut hæresim, aut absurdam sententiam præsefer-
re uidebantur, notaui; quas notationes cum ad eundem Cardinalem, atque ad sacri palatij Magistrum insigni pietate, & eruditione uirum attulissem; uisum ipsis est, interea dum noua omnium operum editio Romæ concinnatur, non inutiliter communicari studiosis & pijs hominibus posse; ut hinc qui uulgatas editiones habent, quid in illis emendandum, aut cauendum sit, intelligant. Cæterûm si id præterea agitur; ac Sanctitas tua laudatissimi sui Pontificatus hoc quoq. in sacrosanctam Dei ecclesiam præclarum munus extare cupit; ut optimus autor, quo nemo ad hæreses euellendas, ad germanam fidem conseruandam, ad pietatē, temperantiam, misericordiam, humilitatem, omnesq. christianas virtutes in animis hominum inserendas, promouendasque aptior umquam fuit, non modo sine periculo, sed longè etiā maiore, quàm antea cum emolumento, legi queat; idcircoque aliena segreganda, mutilata resarcienda, ea, quæ hucusque apud latinos desiderantur, è græcis manuscriptis codicibus conuertendam, quæ ab hæreticis sunt conuersa, catholici aliquando interpretis nomen præferre debere putas: ego uero omnem operam, omnia studia, omnes labores meos ad sanctitatem

titatem tuam ita libenter defero; ut si uita mihi ea in re profundenda sit, praeclarè mecum agi sim existimaturus: cuius voluntatis meae specimen, & duos ab hinc annos duo eiusdē auctoris opuscula latina à me facta ad Sanctitatem tuam attuli, & nunc sermones in Epistolā D. Pauli ad Philippenses affero, longè pleniores, ne dicam emendatiores, quàm hactenus, aut graece, aut latine impressi legantur; breui etiam alia, si hanc Sanctitati tuae operam probari cognouero, allaturus. Ea enim perpetuo haeret animo meo infixa cura, ut beneficiorum, quibus me quotidie afficis; aliquis posteritati extet fructus: praesertim cum hortator assiduus accedat Guido Ferrerius patronus meus Cardinalis nobilitate, ingenio, optimis disciplinis, morum suauitate florentissimus, qui te, ut unicum in terris Dominum ueneratur, ut optimum Parentem colit, ut singulari sapientia, ac bonitate virum ita amat, ac suspicit, vt de Sanctitate tua finem cogitandi non faciat. Oro autem ego te per amplitudinem, per maiestatem, per Sanctitatem tuam; vt

manu

manu ista tua, cui tot, tantaque salutis nostræ credita sunt mysteria, in salutaris illius cruces effigiem ducta, mihi, laboribusque meis bene omineris; neque illos, quos eximia tua liberalitate subleuare pergas, indignos putes. Vale diu felix Pontifex optime, Maxime.



Amplissi-



AMPLISSIMO CARDINALI PHILIPPO VASTAVILLANIO

Flaminius Nobilius S. D.





VOD de cœleſti illa, atque ab omnibus materiæ ſordibus lōgè ſeiuncta hierarchia ſanctiſſimi, ac doctiſſimi Patres noſtri monumentis mandarunt; id in hac etiam Eccleſiaſtica, quæ ad illius exemplar condita eſt, aptiſſime fit; vt quæ infimum obtinent locum, per intermedias perſonas ad ſummas adeant; & cùm ſua, quæ poſſunt, offerant, tum uero ea, quibus egent, beneficia reportent. Longius à re mea non abiero. Non ego mea hæc, exigua, ſed tamen debita minimi clientis officia ad ſummam in terris Gregorii XIII. Pontificis Opti. Max. auunculi tui maieſtatem deferre auderem; nec uiciſsim, quæ mihi in diem opus ſunt, ab eo poſtulare; niſi tu

mihi præsto esses, ita patronus amplissimus, ut humanissimum quoque internuncium apud illius Sanctitatem pro me, vbi vsus veniat, agere non graueris. Sed dabitur commodius tempus ad eximiam istam virtutem, ac benignitatem tuam, quam & mihi, & omnium hominum temporibus, commodisque patere uis, prædicandam. Nihil enim maiori mihi curæ est; quàm ut ne ingratus iudicer. Nunc per eandem istam humanitatem tuam oro ego te, atque obsecro; vt consuetudinem tuam in me honestando serues; & hos meos labores Pontifici, cuius in beatissimo nomine apparent, offeras; eosque singulari ista tua vultus, atque orationis suauitate ornes, & charos reddas. Vale.





B. IOAN. CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

ARGVMENTVM

EPISTOLAE AD PHILIPPENSES.





HILIPPENSES sunt Ciues vnius ex Macedoniæ ciuitatibus, quam Philippos vocant à conditore, ciuitatis coloniæ, quemadmodum Lucas inquit. Hìc Purpuraria conuersa est, mulier valde pia, *Act. c.16.* atque attenta. Hìc Archisynagogus credidit: hìc Paulus vnà cum *Vide notationes.* Syla virgis cæsus est: hìc à magistratibus rogati sunt, ut exirent; ac timori illis fuerunt: *Act. 18.* splendidumque habuit Euangelii prædicatio principium. Multa verò, & magna de illis ipse quoque Paulus testatur, coronam suam illos vocans, & multa passos esse dicens. [Vobis enim datum est, inquit, à Deo, non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini] Euenit autem; ut quo tempore ad eos scribebat, in uinculis *Cap. 1.* esset: propterea inquit; [ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio] prætorium vocans Neronis palatium: verùm è uinculis, in quibus fuerat, dimis- *Cap. 1.* sus est; idque ostendit ad Timotheum scribens[in prima *2. Tim. 4.*

mea defensione nemo mihi adfuit: sed omnes me dereli-
Vide notationes. querunt: non illis imputetur: Dominus autem mihi adsti-
tit, & confortauit me.] Vincula igitur illa significat, quæ
defensionẽ istam antecesserunt. Nam ipso quidem defen-
sionis, ac liberationis tempore minime affuisse Timothe-
um constat. Inquit enim [In prima mea defensione nemo
mihi adfuit] idq; etiam hoc ipso ostendit; quòd hoc modo
scribit: non enim illi per literas nunciasset, quod notum
ipsi esse sciret. Quo autem tempore hanc scribebat episto-
lam, Timotheus vnà secum aderat: idq; verbis istis osten-
Cap. 2. di [Spero autem in domino Iesu Timotheum me citò mit-
tere ad uos.] & rursus [Hunc igitur spero me citò mittere
ad vos, mox vt videro, quæ circa me sunt] E uinculis e-
nim dimissus est: atque in ea, postquam ad ipsos venisset,
rursus coniectus. Quòd enim inquit [Sed etsi immolor su-
Cap. 2. pra sacrificium, & obsequium fidei vestræ] non ita dicit,
quasi nunc fieret; sed quoniam si id eueniat, & quando-
cunque eueniat [gaudeo] inquit, releuans illos mærore,
quem ex ipsius vinculis conceperant: nunc enim minime
mortem obiturum fuisse, ex illis verbis perspicuum est
Cap. 2. [Confido autem in domino, quoniam, & ipse veniam ad
Cap. 1. vos citò.] & rursus, [& hoc confidens scio, quia manebo,
& permanebo omnibus vobis] Miserant autẽ ad eum Phi-
lippenses Epaphroditum; qui pecunias ad ipsum afferret,
& quo loco res ipsius essent, cognosceret. Nam peraman-
ter affecti erga illũ erant. Quòd autem ab illis missus Epa-
Cap. 4. phroditus fuerit; audi ipsum dicentem [Habeo autem om
nia, & abundo; repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quę
misistis] ob hanc igitur causam miserant; vt & illum conso-
larentur, & res illius cognoscerent. Nam quòd & hoc cogni-
turi miserint; in ipso statim epistolæ initio ostendit, de suo
statu scribens, ac dicens [Scire autẽ vos volo, quia quę cir-
Cap. 1. ca me sunt, magis ad profectum venerunt Euãgelii] & rur-
Cap. 2. sus [Spero autem Timotheum me cito mittere ad vos; ut
& ego bono animo sim cognitis, quæ circa vos sunt] Illud
[vt & ego] perspicuè hoc significat; ut quemadmodũ uos,
quò uobis animũ expleretis, misistis ad mea cognoscenda;
ita &

ita & ego bono animo sim rebus uestris cognitis. Quoniã igitur cũ longo iam interuallo nõ misissent, tunc miserant, (id enim indicat illis uerbis [Quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire]) audiebantq; ipsum in uinculis esse (nam si de Epaphroditi mala ualetudine audierant, hominis nõ ualde clari, qualis quidem Paulus erat; multo magis de Paulo) & cõsentaneum erat ipsos perturbari; idcirco in ipso Epistolæ procemio inducit cõsolationem pro ipsis suis vinculis, ostendens tantum abesse, ut inde perturbari oporteat; vt gaudendũ potius sit: deinde consilium illis dat; ut cõcordiam, atq; humilitatem colant, hoc illis tutissimum esse præsidium docens, atq; hac ratione facile illos inimicis suis superiores fieri posse. Non enim doctoribus vestris molestum est in vinculis esse, sed discipulos inter se minime concordes uidere. Illud enim vel ad prouehendum Euangeliũ facit; hoc verò ad disturbandum. Cum igitur illos ad concordiam esset cohortatus, concordiam verò ab humilitate proficisci docuisset, atque aduersus Iudæos, qui christianismum prætendentes omnibus modis dogmati officiebant, inuectus esset, canes eos uocans, ac malos operarios, atq; ab illis abstinendum esse suasisset, & quibus rebus studendum esset, admonuisset, multaq; disseruisset de rebus ad mores pertinentibus, eosq; cõposuisset, ac recreasset uerbis illis [Dominus propè est]; tũ uerò ea, quæ ipsum decebat, prudentia, rerum etiam ad se missarum mentionem facit, atque ita magnam affert consolationem. Facile autem animaduertere licet Paulum in scribendo hos potissimũ honorificè tractare, nec quicquam vsquam interiicere, quod obiurgandi vim habeat. Hoc verò magnum illorũ uirtutis argumentum est, nullam dedisse doctori occasionem obiurgandi, omniaq; ad eos non reprehensionis, sed suasionis modo esse scripta. Verùm, ut nunc etiam repetã, quod initio dicebam, magnã hæc Ciuitas ad fidẽ ostenderat propensionẽ; quãdoquidẽ custos ipse carceris (quã uerò eiusmodi muneris administratio magna cum improbitate coniuncta esse soleat, non ignoratis) ex vno statim signo, & accurrit, & baptizatus est cum

Cap. 4.

Cap. 4.


Act. c. 16.

tota familia sua. Ac signum quidem, quod factum est, ipse solus uidit; fructum verò, ac lucrum non solus percępit, sed unà cum muliere, atque vniuersa domo. Sed & magistratus ipsos, qui Paulum verberibus affecerunt, tumultu potius, & impetu quodam, quàm improbitate id fecisse ex eo intelligitur; quòd citò illum dimitti iusserunt, atque in metu postea fuerunt. Testimonium autem illis dat nō solum fidei, & periculorum nomine, sed etiam beneficentię; vbi inquit [quòd & in principio Euangelii, & semel & bis in usum mihi misistis] nemine alio id præstante. Nā [nulla mihi, inquit, ecclesia communicauit in ratione dati, & accępti] Quòd si aliquando intermiserint; occasionē potius, quàm voluntatem ipsis defuisse istis verbis ostēdit. [Sicut & sentiebatis: occupati autem eratis] Id verò magnum erga ipsos amoris stimulū præ se fert. Quòd enim vehementer eos dilexerit; hinc etiam manifestum [Neminem enim habeo, inquit, tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit] & rursus [eò quòd habeam uos in corde in vinculis meis.]

Cap. 4. *Ibidem* *Ibidem* *Cap. 2.* *Cap. 1.*

MORALIS DIGRESSIO.

De eleemosyna.



HAEC igitur & nos intelligentes, ac tot habentes charitatis formulas, atque exemplaria, præbeamus nos ipsos dignos huiusmodi exēplis, prōpti, ac parati pro CHRISTO pati. Atenim hoc tempore non est, qui christianos infectetur, & uexet. Ergo, ut nihil aliud, saltem efficacem, & vehemētem illorum beneficentiam imitemur; neque ubi semel, atq; iterum dederimus, omni officio perfunctos nos arbitremur. Etenim per omnem vitam id faciendum est. Non enim semel, sed perpetuò placere oportet. Qui currit, si decem circuitionibus, quas græci uocant διαύλους, iam factis postremam omittat; totum perdidit: ita & nos si ab incæpto bonorum operum cursu

cursu defecerimus; totũ perdidimus, totum corrupimus. audi perutilem admonitionem illis pronunciatam uerbis [eleemosynæ, inquit, & fides te non deserant] non dixit, semel facito, aut bis, aut ter, aut decies, aut centies: sed perpetuo; [te non deserant] inquit: nec uerò dixit, ipsas ne deseras; sed, ipsæ te non deserant; ostendens nos esse, qui ipsarum egeamus, nõ ipsas nostri; docensque nihil nobis non faciendum esse; ut illas apud nos retineamus. [circunda eas, inquit, gutturi tuo] Quemadmodũ diuitum filij decus aureum circa collum gestant, illudque nunquam deponunt, quasi nobilitatis insigne circũferentes; ita & eleemosynam nobis ipsis circũdemus oportet, declarantes nos esse misericordis illius filios, qui solem exoriri facit super malos, & bonos. At non credunt infideles? quinimo per hæc credent, si nos hęc præstiterimus. Nam si viderint nos omnium misereri, illumq. repræsentare præceptorem; ad illius imitationem hoc à nobis fieri intelligent. Neque verò vtcumque fecisse satis est; sed cautio quędam pręterea, ac munimentum requiritur. [Eleemosyna, inquit, & fides sit tibi uera] rectè dixit, [vera] non ex rapina, nõ ex furto. Hoc enim non est fides, nõ est uera eleemosyna. Nam qui furatur; eum mentiri, ac peierare necesse est: tu verò non ita; sed unà cum eleemosyna fidem quoque habeto, inquit. Circumdemus nobis istum ornatum. Torquem hunc aureum animę aptemus, eleemosynam dico; quamdiu scilicet hìc fuerimus. Nam cum ætas hæc prętererit; non amplius illa vtemur; quid ita? non sunt ibi pauperes; non sunt ibi pecunię; non est ibi mendicitas: quamdiu sumus pueri; ornatu hoc nos ipsos ne spoliemus. Quod enim in pueris euenit; vt cum ad virilem ętatem peruenerint, ista deponant, atque alium sibi assumant ornatum; idem quoque in nobis: Etenim illhìc non erit eleemosyna ista, quæ pecunijs fit; sed alia quędam longè maior. Ne igitur interea hac nos priuemus: operam demus, vt pulchram se spectandam prębeat anima. Magnum eleemosyna bonum, atque honoratum est, magnum donum; imo vero magna est bonitas. Si didicerimus pecunias contemnere; etiam alia discemus.

Prou. 3. uulgata uerò editio habet [misericordia, & ueritas te nõ deserát]

ſcemus. Vide enim quot hinc exiſtant bona: qui dat eleemoſynam, quomodo danda eſt; is diſcit pecunias contemnere: qui pecunias contemnere didicit; is malorum radicem excidit; quamobrem non tam facit beneficium, quàm accipit; non idcirco ſolum, quòd eleemoſynæ conſtituta eſt merces, ac retributio; verum etiam, quòd anima fit philoſophica, excelſaq́ue ac diues. Qui eleemoſynam dat, ad hanc diſciplinam eruditur; vt pecunias, atque aurum minimè admiretur: qui vero hac diſciplina inſtituit animum; nę ille præclarum aſcendendi in cœlum principium fecit; ſexcentaſque pugnę, contentionis, inuidiæ, mæroris occaſiones amputauit. Noſtis enim profectò; noſtis & vos ex pecuniỷs mala omnia, ex pecuniỷs ſexcenta bella ſolere exiſtere. Quamobrem qui illas contemnere didicit; tranquillo in portu ſeipſum locauit; nec damnum poſthac metuit. Ad hanc enim diſciplinam illum eleemoſyna erudiuit: non appetit poſthac aliena (quomodo enim, cum ſua etiam profundat, ac donet?) nulla poſthac diuitis inuidia tangitur (quomodo enim, cum pauper fieri velit?) ipſumq́ue animæ oculum ab omni labe purum reddit. Atque hæc quidem hìc: quorum vero ibi bonorum compos futurus ſit, nulla unquam oratio queat exponere: non vnà cum ſtultis virginibus foris manebit; ſed vnà cum pru-
Matt. 25. dentibus, vnà cum ſponſo ipſo introibit, ſplendidas habens lampades. Ita ob hanc ipſam eleemoſynam, iỷs, quę in virginitate ſeruanda valde laborarunt, longè præſtabit, expers ipſe laborum illorum: tanta eſt eleemoſynæ virtus: alumnos ſuos magna cum libertate introducit: nota enim eſt cœli ianitoribus, qui ſponſi fores cuſtodiunt; nec verò nota ſolum, ſed etiam huiuſmodi, quam reuereantur; eoſq́ue, à quibus ſe cultam nouerit, magna cum libertate introducet; ac nemo contradicet; ſed omnes cedunt. Nam ſi Deum in terram adduxit; idque ipſi perſuaſit, vt homo fieret; multo magis hominem in cœlum intromittere poterit: magna eſt ipſius potentia. Ergo ſi ex miſericordia atque hominum amore Deus homo factus eſt, ſi eò, inquam, adductus eſt vt ſeruus fieret;
multò

multò magis seruos in domum introducet suam. Hanc amemus; hanc colamus, non vno aut altero die, sed per omne tempus; vt ipsa nos benè notos habeat: nam si ea nos nouerit; & Dominus noscet; sin ignoret; dominus etiam ignorabit, ac dicet [nescio vos]. Verum absit, vt hanc nos uocem audiamus, sed beatam illam [Venite benedicti patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi] quod vtinam nos consequamur in Christo Iesu domino nostro, cum quo Patri, vnaque Sancto Spiritui gloria, imperium, honos nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. *Matt. 25.*

SERMO PRIMVS CAP. I.



AVLVS, & Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, Coepiscopis, & Diaconis, Gratia uobis, & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Hic quasi ad æquali honore præditos scribens non ponit suum magisterii nomen, sed aliud quiddam, illudque magnum. quale uerò istud? seruum seipsum nominat, non apostolum. Nam & hæc verè magna dignitas est, ac bonorum caput, seruũ esse Iesu Christi, & non tantum dici. Qui Christi seruus est; hic à peccato liber est; & hoc ipso, quòd germanus, ac legitimus seruus est; nunquam committet, vt cuiusquã alterius seruus fiat: alioqui non esset Christi seruus, nisi ex dimidia parte. Ac sanè ad Romanos scribens, rursus ita inquit, [Paulus seruus Iesu Christi] ad Corinthios verò, & Timotheum scribens, Apostolum seipsum nominat: quid ita? *Ro. c. 1.* non ob eam certè causam, quòd isti meliores essent Timotheo; absit; sed potius, quòd præ omnibus, ad quos scribit, istos potissimum honorat, & fouet: nam & magnæ uirtutis testimonium ipsis dat. Præterea verò, cum ad illos scribenti multa essent cõstituenda, & disponẽda; ideo apostoli dignitatem prę se tulit. Hic verò nihil ipsis mãdat pręter ea, quę

etiam

etiã per ſeipſi videbant. *Sanctis in Christo Ieſu, qui ſunt Philippis.* Quoniam veriſimile erat Iudæos etiam ſeipſos ſanctos nominare ex priore illo oraculo, vbi dicti ſunt populus ſanctus, & peculiaris; propterea addit *ſanctis in Chriſto Ieſu*. Hi enim ſoli ſancti; illi vero reliquo iam tempore prophani.

Deuter. 7. & 14.

Coepiſcopis & Diaconis. Quid hoc? an vnius ciuitatis multi erant Epiſcopi? nequaquam; ſed presbyteros iſto nomine appellauit. Tunc enim nomina adhuc erant communia; atque ipſe etiam Epiſcopus vocabatur Diaconus. idcirco ad Timotheũ ſcribens inquit [Diaconiam id eſt miniſterium tuum imple] cum tamen ille Epiſcopus eſſet: Quod conſtat ex verbis illis ad eundem ſcriptis [manus cito nemini impoſueris] & rurſus [quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum presbyterii] presbyteri verò epiſcopum non ordinaſſent. & rurſus ad Titum ſcribens inquit [Huius rei gratiæ reliqui te Cretæ; vt conſtituas per ciuitates presbyteros: ſicut & ego diſpoſui tibi; ſi quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir] quę quidem de Epiſcopo dicit. Atque hęc cum dixiſſet, ſtatim addidit. [oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem non ſuperbum] Antiquitus igitur, quemadmodum dicebam, ipſi etiam preſbyteri vocabantur epiſcopi, & diaconi Chriſti. Quocirca vel hodie multi epiſcopi ita ſcribunt, compresbytero, & condiacono. Procedente verò tempore proprium cuique diſtributum eſt nomen; vt hic quidem Epiſcopus, ille verò presbyter appelletur. *Coepiſcopis inquit, & diaconis, gratia uobis, & pax à Deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto.* Hoc loco nõ iniuria quęret quiſpiam; quid cauſę ſit; quamobrem cum nuſquam alibi ad Clerum ſcribat, non ad eum, qui Romę, non qui Corinthi, nõ qui Epheſi, ſed generatim dicat [omnibus ſanctis] vel [fidelibus] vel [dilectis] hîc ad clerum ſcribat? nimirum, quoniam clerici ipſi fuerant; qui literas ad eum dederant, & fructum protulerant; ipſiq́ue ad eum miſerant Epaphroditum t *Gratias ago Deo meo, inquit, in omni memoria ueſtri ſemper.* Alibi ita ſcripſit [Obedite prępoſitis veſtris, & ſubiacete; ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant, &

2. Cap. 4.
1. Cap. 5.
1. Cap. 4.
Cap. 1.
Vide notationes.
Hæb. c. 13.

non

non gemẽtes.] Si igitur gemere ex uitio discipulorum est; cum gaudio id facere, ex profectu erit. Hoc igitur est, quod ait. Quotiescunque, inquit, vestri memoriam repeto, Deum glorifico. Id vero facit; quòd multorum illis bonorum conscius erat. Et glorifico, inquit, & precor. Non enim quoniam virtutis viam ingressi estis, finem precandi pro vobis facio; sed persto adhuc in oratione. *Gratias, inquit, ago Deo in omni memoria ueſtri ſemper, in omni oratione mea pro omnibus uobis cum gaudio etiam deprecationem faciens* [*ſemper*] non solum, quando precor. Recte autem addidit *cum gaudio* est enim & cum mœrore id facere; quemadmodum alibi dicit [nam ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas] *ſuper communicatione ueſtra inquit, in Euangelium à prima die uſque nunc*. Magnum quiddam est; de quo illis testimonium hoc loco dat, & ualde magnum, quodque Apostolis, & Euangelistis dari solitum est. Non quoniam una, inquit, ciuitas uobis cõmendata, ac credita est; illam solam curatis: sed nihil omittitis, vt laborum meorum participes sitis, ubique præsentes, ue straméque operam, ac diligentiam vnà mecum in prædicatione collocantes. Nec uerò semel, bis ve, aut ter, sed semper ex eo tẽpore, quo credidistis vsq; ad hũc diem, apostolorum planè studiũ, atq; alacritatẽ repræsentastis. Vide eos quidẽ, qui Romæ erant, ab illo sese auertisse (audi enim illum dicẽtem [Scis hoc, quòd auersi sunt à me omnes, qui in Asia sunt] & rursus [Demas me reliquit] & [in prima mea defensione, inquit, nemo mihi adfuit]) hos autem etiam cum aberant, illius sibi incommoda communia duxisse; quippe cum & certos homines ad illum mitterent, & pro viribus, quæ opus erant subministrarent, omninoque nihil omitterent. Atque hoc facitis, inquit, non solũ nunc, sed perpetuo, omni ratione subsidiũ afferentes. Ergo subsidium ferre, hoc est communicatio in Euangeliũ. Etenim quando ille quidem prædicat, tu verò predicantem foues, & adiuuas; illius coronæ communes tibi fiunt. Nam & in externis certaminibus non ad illum tantum, qui certat, corona pertinet; sed etiam ad pædotribam, & ad ministrum,

Vide notationes.
2. Cor. 2.
2. Tim. 1.
Cap. 4.

omninoque ad omnes illos, quicunque athletam instituerunt. Etenim qui illum confirmant, ac recreant; eos victoriæ quoque participes fieri æquum est. Itidem uerò in bellis non solus ille, qui præclarum facinus edidit, sed omnes etiam, qui ei utilem operam dederunt, non iniuria ad trophæorum, gloriæque partem uocantur; perinde ac diligens illa opera, & ministerium pars quædam, ac societas certaminis fuerit. Atqui sanctis inseruire, tantum abest, ut paruum quiddam sit, ut multum omnino ualeat. Nobis enim cōmunes facit repositas illis mercedes. Exēpli causa profudit quispiam magnam pecuniæ uim propter Deum, assidue adhæret Deo, eximiæ uirtutis officiis fungitur, magnā adhibens diligentiam, ne vel in uerbis, aut cogitationibus ipsis, ulla vè alia re labatur. In tua manu est, quamuis tantundem diligentiæ non adhibueris, repositas illi pro tot laboribus mercedes communes tibi facere. Quomodo? si illum cures, foueasq; & sermone, & reipsa; si consoleris cùm suppeditās necessaria, tùm in omni ministerio inseruiens. Tu enim is eris, qui asperam illam viam faciliorem ipsi facies. Quamobrem si admiramini illos, qui in eremo viuūt, qui vitæ rationem planè angelicam suscæperunt, qui in Ecclesiis eadem, atque illi, uirtutis obeunt munera; si admiramini, inquam, ac doletis tam longo uos interuallo ab illis abesse; licet uobis alia quadam ratione cum illis coire societatem, idest inseruiendo, curando, ac fouendo. Nam & hoc Dei benignitatis est, eos etiā qui negligentiores sunt, nec duram illam, asperam, exquisitam viuendi rationem suscipere possunt, rursus per aliam uiam ad eundem, atq; illos gradum prouehere. Atq; hoc illud est, quod Paulus cōmunionem uocat; communicant nobis, inquit, & impartiunt carnalia; & nos illis communicamus spiritualia. Nam quemadmodum Deus pro exiguis, ac nullius ponderis rebus regnum largitur; ita & illius serui pro exiguis, ac sensilibus spiritualia impartiūt: imo uerò ipse est; qui per hos, & hæc, & illa dat. nō potes ieiunium ferre? non solitudinē? non humi cubare? non integras noctes uigilare? licet tibi harum omnium rerū mercedem accipere; si alia quadā ra-

Ro. 15. 1.Cor. 9.

tione rem tuã gesseris; nempe si eum, qui istos labores capit, cures, recrees, foueasque assiduè; & laborem, qui in illis certaminibus substinetur, leuẽ reddas. Ille quidem stat pugnans, ac vulnera excipiens: Tu uerò à certamine redeuntem cura, obuiis manibus suscipe, sudorem absterge, recrea, solare, lassam animã foue, ac refice. Profecto si tanta cum alacritate sanctis inseruiamus; participes mercedum, quę illos manent, erimus. Hoc & Christus docet [facite vobis amicos de mãmona iniquitatis; ut recipiant uos in ęterna tabernacula] Vides quomodo isti participes facti fuerit? *à prima die, inquit, usq; nunc* ob hoc ipsum, inquit, gaudeo *super communicatione uestra.* Gaudeo aũt non de præteritis tantum, sed etiã de futuris. Nam ex pręteritis de istis quoq; coniecturam facio. *Confidens hoc ipsum, inquit, quia qui coepit in uobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.* Vide quomodo illos modestiam etiam tueri doceat. Etenim quoniam magnum quiddam erat, quod de illis testatus fuerat; ne humani quid patiantur; protinus ipsos ita instituit, ut & præterita, & futura ipsi Christo accępta referant. quomodo? non dixit, confido, quemadmodum cępistis, ita etiam perfecturos. sed quid? *qui coepit in uobis opus bonum, perficiet,* neq; ipsorum in rectè facto aliquas fuisse partes negat. Dixit enim. *Gaudeo super cõmunicatione uestra,* nimirum, tanquam ipsi rectè se gessissent: neq; tamen ipsis duntaxat rectè facta assignat sed principaliter Deo. Cõfido enim, inquit, *quia, qui coepit in uobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.* idest Deus. Nec verò solum de uobis inquit; sed etiam de iis, qui ex vobis orientur, hoc spero. Nam & hæc non exigua laus est, nempè Deum in aliquo operari. Etenim si ille personarum accęptator non est, quemadmodũ certè non est, sed ad cuiusque propositũ spectans nobis in uirtutis officiis obeundis opitulatur; satis constat nos ipsos esse, qui occasionem demus; cur ille nobis concilietur: quare hac etiam ratione illos laudem esse promeritos minimè negauit: cæteroqui si absolutè ageret; nihil sanè impedimenti erat; quominus & Græci, & omnes omnino homines agerentur; si inquam nos perinde ac ligna, & lapides moueret, neque par-

Luc. 16.

De gratia, et libero arbitrio.

tes etiam nostras desideraret. Quamobrem, cum inquit, *Deus perficiet* & hoc rursus ad illorum laudem pertinet; quippe qui Dei gratiam ita sibi conciliarint, ut ipsis cooperaretur ad naturę humanę conditionem exuperandam. Atque alia etiam ratione hac in re laus inest; nimirum, quòd talia sint uestra rectè facta; ut minimè humana sint; sed diuino actu sit opus. Quòd si Deus perficiet; nō maximus capiendus erit labor; sed confidere oportet, facilè à nobis omnia præstitum iri; quippe qui ab illo adiuuemur. *Sicut est iustum me hoc sentire pro omnibus uobis, eò quod habeam uos in corde, & uinculis meis, & in defensione mea, & confirmatione Euangelij; quòd omnes uos unà mecum participes estis gratiæ.* Magnam interea desiderii vim hoc loco ostendit; siquidem illos in corde habebat; atque in ipsomet carcere uinctus Philippēsium recordabatur. non vulgaris uirorum laus, esse in memoria sancti huius. non enim illius dilectio ex inconsiderato quodā animi motu, sed iudicio, ac bene cogitata ratione existebat. Quamobrem diligi aliquem à Paulo adeò uehemēter, satis argumenti est, magnum esse illum, atq; admirabilem. *& in defensione, inquit, et confirmatione euangelij;* Et quid mirum, si in carcere illos in corde haberet? nam neq; illo tempore, inquit, quo ad tribunal accedebam dicturus causam, ex animo meo effluxistis. Tanta enim violētia est amoris spiritualis; vt nulli cedat ille tempori, sed amantis animā perpetuò complectatur, nullaque calamitate, aut dolore uinci sinat. Etenim quemadmodum in fornace Babylonica, cum tātum esset excitatum incendium, ros tamē erat beatis illis pueris; ita etiam amicitia, ubi semel amantis, Deoq́ue accępti hominis animam appręhendit; omnem extinguit flammā, roremq́ue admirabilem spargit. *et confirmatione Euangelij inquit.* Ergo vincula erant confirmatio Euangelii: ergo erant defensio; ac iure quidem. Nam si uincula detrectasset; impostoris omnino speciem præbuisset. Nunc verò omnia tolerans, & vincula, & calamitatem; planè demonstrat non se humanam aliquam ob causam hæc pati, sed propter Deum, qui mercedem reddere solitus est. Nemo enim fuerit, qui & mori, & tot adire pericula statuat;

nemo

nemo qui tanti Imperatoris (Neronem dico) offensionem ſubeat; niſi alium multo maiorem Imperatorem intueretur. Erant igitur vincula confirmatio Euangelij. Vide quo modo, vt plenius, atque abundantius, quod vult obtineat, omnia in contrariam partem conuerterit. Quod enim infirmitatis, & criminis loco putabant; id confirmationem vocat; vt niſi id eueniſſet, infirmitate laboraturum fuerit. Deinde oſtendit dilectionem non temerè, ſed iudicio ſuſcęptam. vnde? *Habeo uos, inquit, in uinculis meis, & in defenſione; eò quòd unà mecum participes eſtis gratiæ* Quid hoc eſt? Hoc ipſum ne erat Apoſtoli gratia, vinciri, iactari, ſexcentas ferre acerbitates? maxime. Nam [ſufficit tibi, inquit, gratia mea. virtus enim mea in infirmitate perficitur; propter quod placeo mihi, inquit, in infirmitatibus, in contumeliis] Quando igitur video vos factis ipſis virtutem oſtendere, atque huius gratiæ eſſe participes, idque alacriter; non immerito has coniecturas facio. Nam qui vos fuerim expertus, optimeque omnium vos, & veſtra benefacta norim, qui vel tanto à nobis interuallo ſeiuncti, omnem contentionem adhibetis, ne in calamitatibus à nobis ſeiungamini, ſed periculorum, quæ pro Euangelio ſubeunda ſunt, participes ſitis, & procul poſiti nihil minus me ipſo habeatis, qui in certamina ipſa deſcendi; æquum planè eſt, vt hæc relinquam teſtata. Cur autem non dixit *participes* Sed *unà mecum participes*? Et ego ipſe, inquit, alteri impertio; vt vnà fiam particeps Euangelij, ideſt bonorum, quę pro Euangelio nos manent. Ac mirum profecto eſt, omnes illos ita affectos animo fuiſſe, vt à Paulo vocari poſſent ſui participes. Ita enim, inquit, *quòd omnes uos unà mecum participes eſtis gratiæ*. Hæc igitur initia fidem mihi faciunt, vos vſque ad finem tales fore. Vix enim fieri poteſt, vt principium adeò ſplendidum extinguatur, atque euaneſcat; ſed magnos quoque, ac pręclaros exitus pręſtat.

2. Cor. 12.



MORA-

MORALIS DIGRESSIO.

De alendis sanctis



VONIAM igitur alia quadam ratione licet esse participem gratię, & periculorum,& calamitatum; obsecro ego uos, simus nos quoq; participes. Quã multi ex iis, qui hìc sunt,uellent? quinimò omnes velletis participes esse Pauli in repositis illi bonis. Atqui licet, si vultis, facile istud assequi. quomodo? si iis,qui ministerium illius repræsentant, iis,qui pro Christo malè accipiuntur,velitis subsidium alacriter ferre, opitulari, manum porrigere. Vides periclitari fratrem? porrige manum. Vides pręceptorem prębio appetitum? assiste. Atenim dicis;nemo est, qui Paulo cõparari queat. En subito animi elatio: subito iudicant. Neminem propè ad Paulũ accedere,ego quoq; fateor. Verumtamen
Matth. 10. [qui recipit,inquit, Prophetam in nomine prophetæ,mercedem prophetę accipiet] Non enim Philippenses ob eam causam admirabiles erant; quòd Paulum adiuuabant: non, inquam,ob eã causam;sed quoniã communicabant ei;qui Euangelii pręedicationem suscęperat. Propterea Paulus honorem promerebatur; quoniã hęc patiebatur pro Christo. Qualis Paulus,nemo quidẽ est; nemo qui ad beatum illum vel propè accedat. Euangeliũ verò,quod hodie pręedicatur, idem est, atq; eo tempore erat. Nec verò tantũ,dum in vinculis erat, ei communicabant, sed etiam à principio. Audi
Cap. 4. enim ipsius verba. [Scitis autem, & uos Philippẽses,quòd in principio Euangelii nulla mihi Ecclesia cõmunicauit in ratione dati,& accepti,nisi vos soli] Ac sanè omissis etiã periculis multas, & graues hẽt molestias præceptor; uigilias, dicendi, ac docẽdi laborẽ, repræhensiones,accusationes, querelas, obtrectationes. Leuia hæc dic mihi? sexcẽtis se linguis exponere,cũ liceret sua vnius curare? Heu quid mihi animi est. Duabus rebus interclusus,hæsito,atq; hęreo. Nam cum uos & admonere, & cohortari cupio, ut sanctos Dei foueatis, omniq; ope iuuetis; tum verò metuo,ne cui

alia

alia quædam incidat suspicio; nimirum hanc mihi orationem non uestri, sed illorum causa esse susceptam. Verum scitote hæc à me non illorum, sed vestra ipsorum causa dici; idque, si mentem aduertere velitis, ipsæ uobis rationes persuadebunt. Non æquale est lucrum, quod uos reportatis, atque illi. Nam uos quidem si dederitis; ea dabitis; quę paulo post, velitis, nolitis, aliis resignaturi, & cōcessuri estis. At quæ accipitis; permagna sunt; longe, inquam, maiora. An nō hoc animo estis, accipere vos, cū datis? Ego verò, nisi hoc animo estis, ne detis quidē uelim; tantum abest, ut pro illis sermonem faciam. Nisi quis antea sibi persuaserit, accipere se magis, quàm dare, ingens lucrum facere, beneficio magis affici, quam afficere; ille uerò ne det; si ita putat, dare se beneficium accipienti; ne det. Non enim id mihi nunc magnopere curæ est; ut alantur sancti. Nam nisi tu dederis; alius dabit. Quamobrem quod uolo, hoc est; ut vos peccatis vestris lenem quandam medicinam faciatis. Qui verò hanc in dando rationem non tenet; medicinam non habebit. Non enim dare; sed alacrem dare, sed lętum, sed gratias habentem accipienti, hoc est eleemosynam facere. Inquit enim [Non ex tristitia, aut ex necessitate] & rursus [hilarem enim datorem diligit Deus] Non det igitur, qui hoc modo non dat. Iactura enim istud est, non eleemosyna. Quare si vobis hoc exploratum est, vos esse, qui quęstum facitis, non illos; exploratum quoque illud sit, maius etiam lucrum vobis accedere. Nam illis quidē corpus alitur; vobis autē splendescit anima: illis, cum accipiunt, nullum remittitur peccatū; vobis vero multę offensiones abolentur. communicemus igitur ipsis in laboribus, ac certaminibus; ut in magnis quoq; illis premiis aliquando communicemus. Non defuerunt; qui reges sibi adoptarent, atque in eo non magis se dare, quàm accipere putarent. Tu Christum tibi adopta, tuasque res in tuto collocabis. Vis & Paulo cōmunicare? nō veto. Ecquid dico Paulo; vbi Christus ipse est, qui accipit? Vt autem intelligatis, me nō aliorum recreationi studentē, sed vestra causa, hæc omnia & dicere, & facere; si quis est ex pręfectis Ecclesię, qui vitā non inopem

2. Cor. 9.

inopem agat, nullaque re egeat; etiam si sanctus sit, tamen nolo ei des; sed huic prępone illum, qui eget, quamuis nō adeo admirabilem. Quid ita? quoniam ipse etiam Christus
Luc. 14. hoc ita vult; idque illis uerbis indicat [Cum facis coenam, aut prandium, noli uocare amicos tuos, neque cognatos, sed debiles, claudos, & cęcos] eos nimirum; qui tibi par pari referre non possunt. Non enim temerè sunt quilibet inuitandi, sed esurientes, sed sitientes, sed nudi, sed peregrini, sed ij, qui ex diuitiis ad inopiam sunt redacti: non enim absolutè dixit, aluistis me, sed addidit, esurientem. [Esu-
Matt. 25. rientem, inquit, me uidistis, & dedistis mihi manducare] Quòd si quemuis esuriētem nutrire opus est; multò magis cum ad cibi necessitatem uiri sanctitas accesserit. Duplici enim nomine officium iustum est; quòd & in sanctum, & in esurientem confertur. Ergo si quis sanctus quidem fuerit, sed non egeat; nihil ei dato: non enim hoc lucrum est: non enim hoc Christus præcępit: quinimò ne sanctus quidē ille fuerit; qui cum abundet, accipit tamen. Vides non turpis lucri causa hæc à me esse dicta, sed vestrę utilitatis. Ale esurientem; ut ne alas gehennæ ignem: ille de tuis rebus comedēs, eam etiam partem, quę tibi relinquitur, sanctifi-
3. re. 17. cat. Cogita, qūo uidua Heliam aluerit, ac nō magis aluerit quàm alta sit; non magis dederit, quàm acceperit. Id nunc etiam fit, & multo amplius. Non .n. hydria farinæ, aut lecy-
Matt. 19. thus olei; sed quid? centuplū, & vita æterna huiusmodi officiis proposita merces est. [misericordia Dei propria est: alimentum spirituale fias, fermentum mundum] Vidua erat illa; urgebat fames; & nihil horum impedimento illi fuit: habebat filios; neque hinc etiam se retardari siuit:
Mar. 12. æquauit illam, quæ misit duo minuta in gazophylacium: non secum ipsa dixit: Quæ mihi utilitas ab hoc expectāda est? ipse mei eget: Si quid virium haberet; non incidisset in famem; depulisset hanc siccitatem; nō iisdem premerentur malis. Forsitā & ipse in Dei offensionem incurrit. Nihil horum cogitauit. Vides quantum boni sit adhibere simplicitatem in benefaciendo; nec nimis curiosè in eum inquirere, qui beneficium sit accępturus? profectò si omnia uoluisset

In danda eleemosyna nimis accuratum delectum nō adhibendum.

luisset nimia quadam diligentia expendere; multa illius animum diuerse traxissent;nec fidem habuisset. Ita & Abraam si curiose agere voluisset; angelos non suscępisset. Fieri enim minimè potest; fieri inquam nō potest, ut qui tam tenuem singulis quibusque rebus examinandis diligentiam adhibet, sancto homini aliquando benigne faciat; sed omnium maximè incidit in impostores. Et quo modo istud? ego dicam. Vir pius non hoc affectat,ut pius uideatur;neque hanc sibi personam vult imponere; etiam si futurum videat, ut despicatui habeatur. Impostor autem, quippe qui rem hanc artis loco habet,eximię cuiusdā pietatis speciem artificio ad depręhendendum difficillimo prę se fert. Quamobrem fit, ut ille quidem, qui etiam iis, qui non uidentur pii,benignè facit,in pios incidat:qui autem eos solos quærit,qui pii existimantur; incidat persępè in impios. Obsecro igitur ego uos, omnia in simplicitate faciamus: Esto enim: qui ad nos accedit,sit impostor: non tamen iussus es hęc curiosè scrutari, [omni enim,inquit,à te petenti tribue.] & [qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses] quamuis multi eorum, qui necantur, in criminibus depręhensi ea poena mulctati fuerint; sed [ne cesses] inquit. Ita enim similes Deo,ita admirabiles erimus;& immortalia bona consequemur; quibus utinam digni efficiamur gratia, & benignitate &c.

Luc. 6.
Prouer. 24

SERMO SECVNDVS.



ESTIS est mihi Deus; quomodo uos omnes cupiam in uisceribus Iesu Christi; & hoc oro, ut charitas uestra adhuc magis, ac magis abundet in scientia, & omni sensu; ut probetis potiora, ut sitis sinceri,& sine offensa in diem Christi repleti fructibus iustitiæ per Iesum Christū in gloriam, & laudem Dei. Non idcirco quòd sibi fides nôn habeatur; testem citat Deum: sed ex animi affectu id facit; utq; illis hoc sit persuasissimum. Nam quoniam dixerat, eos sibi communicasse;ne ob hāc causam, idest ob ea,quæ mittebant, putarent se ab ipso desiderari, minimè verò, quòd

ipsi per se amarentur; idcirco subiunxit *in uisceribus Christi.* Quid hoc sibi vult? Idem ac si dixisset, secundum Christum, quoniam fideles estis; quoniam amatis Christum; propter dilectionem, quę secundum Christum est: neque dixit dilectionem, sed, quod ardentius est, viscera Christi; perinde atque ita diceret, viscera eius, qui veluti pater vester effectus est per eam cognationem, quæ est secundum Christum. Hæc enim est, quæ nobis dat viscera, viscera calentia, & inflammata. Germanis enim seruis suis viscera largitur. In illis, inquit, visceribus amo vos; ac si dicat, visceribus non naturalibus, sed iis, quæ ardentiora sunt, nimirum, quæ Christi sunt. *Quomodo, inquit, uos omnes cupiam:* omnes desidero; quoniam & omnes tales estis: modum desiderii non possum consequi oratione: quando igitur uerbis exprimi non potest; propterea Deo cognoscendum relinquo penetranti corda. Quòd si illis assentaretur; minimè Deum citasset testem. Non enim id tutum est. *Et hoc, inquit, oro, ut charitas uestra magis, ac magis abundet:* rectè: insatiabile enim est bonum hoc. Vide, quomodo; cum adeo amaretur; adhuc magis amari cupiebat. Qui enim hoc modo amat; eum, quem amat, ita sibi respondere vult; vt nullo in amoris gradu consistere patiatur. Nullus enim est huius boni modus, idcircoque Paulus semper
Ro. 13. deberi vult. [Nemini inquit, quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis] Modus, & mensura charitatis est nusquam consistere. *Vt charitas uestra, inquit, adhuc magis, ac magis.* Attende verborum dispositionem. *Vt adhuc magis, inquit, ac magis abundet in scientia, et omni sensu.* Nō vniuerse quamuis amicitiam, quamuis charitatem admiratur; sed eam, quæ ex scientia proficiscitur, id est vt nō erga omnes eandem charitatem adhibeatis. Id enim minimè charitatis est, sed insulsitatis. Quid est *in scientia?* adhibito iudicio, cogitata ratione, delectu quodam, ac sensu. Non enim desunt; qui inconsultò, ac temerè ament: ex quo etiam fit, vt huiusmodi amicitiæ parum roboris habeant. *In scientia, inquit, et omni sensu, ut probetis potiora,* διαφέροντα. i. συμφέροντα i. quæ vtilia sunt; non mea, inquit, sed vestra ipsorum causa hęc

ſa hæc dico. Periculum enim eſt; ne quis ab hæreticorum amore corrumpatur. Hoc enim totum ſignificat; dum ita loquitur. Vide autem, quomodo iſtud iniicit. non mea, inquit, cauſa iſthæc dico, ſed *ut ſitis ſinceri*, ideſt ne ſpurium aliquod dogma prætextu charitatis admittatis. Quæres, quomodo igitur alibi dixit? [ſi fieri poteſt, cum omnibus hominibus pacem habete] non ſanè hoc docens, ita vobis amandum eſſe, vt ex amicitia damnum reportetis, (Nam ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, inquit, erue eum, & proiice abſte) ſed illud faciendum eſſe; vt ſitis, quod quidem ad Deum pertinet *Sinceri*, quod verò ad homines, *ſine offenſa*. Multis enim ſæpè amicitiæ nocent. Nam etſi tibi nihil nocet, inquit; attamen alius interea offenditur. *in diem Chriſti*, ideſt, vt tunc reperiamini puri; quippe qui nemini ſcandalo fueritis *repleti fructibus iuſtitiæ, per Ieſum Chriſtum, in gloriam, & laudem Dei* id eſt vnà cum dogmatis vitam quoque rectam habentes: nec quomodocunque rectam eſſe ſatis eſt, & confertam fructibus iuſtitię (eſt enim quædam iuſtitia, quæ non ſecundum Chriſtum eſt, vt vita illā, quæ virtutē quoquomodo colit) ſed *per Ieſum Chriſtum in gloriam, & laudem Dei*. Vides non me gloriam meam curare, ſed gloriam Dei. Sępè autem eleemoſynam iuſtitiæ nomine appellat. Ne, inquit, officiat vobis charitas, quominus cognoſcatis, quę in rem veſtram ſunt; nec quoniam hunc, vel illum amas, propterea collabaris. Cupio quidem veſtram creſcere charitatem: ſed non adeò, vt inde damnum feratis: nec quauis præcepta ſemel opinione vos moueri velim; ſed cum perpenderitis, vtrum quæ dicimus, rectè ſe habeant; neque dixit, vt mea præponatis, ſed *ut probetis*; neque perſpicuè dixit; ne cum iſto vel illo familiariter verſemini; ſed velim charitas vobis ad vtilitatem proficiat; minime verò perinde affecti ſitis, ac ſi ſenſu careatis. Res enim ſtultitiæ pleniſſima eſt, iuſtitiam operari aliam ob cauſam, quàm propter Chriſtum, & per ipſum. Ecce rurſus illam loquendi formulam, per ipſum. Num igitur vſus eſt Deo, tanquam famulo, qui inferiorem in operando locum teneat?

Rom. 12.

Matt. 5.

Vide notationes.

Vide notationes.

 abſit.

absit. Inquit igitur, non ut ego lauder, ita loquutus sum; sed ut glorificetur Deus. *Scire autem uos uolo fratres, quia, quæ circa me sunt, magis ad profectum uenerunt Euangelij; ita ut uincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus.* Verisimile erat illos, cum eũ in vinculis esse audissent, dolere; putareque obstructam esse viam prædicationi. Quid igitur facit? statim hanc suspicionẽ tollit; atque ita inquit. Ea, quę mihi euenerũt, in Euangelii progressum redundarunt. Est autẽ & hoc amãtis, suas illis res patefacere; vt pote quibus curæ sint. Quid ais? in vinculis es; impeditus es: ecquo igitur modo euangelium ipsum progressus facit? *ita ut uincula mea, inquit, manifesta fierent, quæ sunt in Christo, in omni prætorio;* idque non modò aliis silentium non imposuit, neque timorem incussit; sed etiam hoc ipso fidentiores sunt facti. Quod si illi, qui in mediis periculis versantur, non solum nihil damni tulerunt, sed etiam plus animi, ac fidentiæ sumpserunt; multo magis vos fidatis oportet. Nam si ille quidem, qui vinctus est, id miseriæ loco tulisset, ac tacuisset; consentaneum erat, illos quoque eodem modo affici. Nunc verò cum is, qui est in vinculis, liberius, & fidentius agit; longè magis animum illis addit, quàm si vinctus non esset. Sed quomodo vincula ad progressum Euangelii fecerunt? Hoc, inquit, gubernauit Deus; vt ne laterent mea vincula; vincula, inquam, quæ in Christo, quæ per Christũ, *in omni prætorio*. Tunc enim hoc nomine regias appellabant: neque verò solum, inquit, in prętorio, sed etiam in vniuersa ciuitate. *Et plures è fratribus in Domino confidentes in uinculis meis abundantius auderent sine timore uerbum loqui.* His verbis ostendit & antea fidenter illos egisse, ac liberè disseruisse, sed nunc multò magis. Ergo si alii propter mea vincula fidenter agunt; multo magis ego. Si aliis fidentiæ causa sum; multo magis mihi ipsi; *& plures è fratribus in domino.* Quoniam magnum dictu erat, mea illis vincula animum addidisse; propterea occupans dixit, *in domino.* Vides necessitate etiam ipsi imposita magnificè de se loquendi, quàm tamen modestiæ non obliuiscatur? *abundantius auderent, inquit, sine timore uerbum loqui,* dum inquit, *abundantius;* satis indicat, illos

iampridem cępiſſe: *quidam quidem propter inuidiam, & contentionem, quidam uerò & propter bonam uoluntatem Christum prædicant.* Operæ pręcium fuerit cognoſcere, quid hoc ſit. Cum in vinculis detineretur Paulus; multi ex infidelibus cupientes acre bellum ab Imperatore aduerſus illum excitare; ipſi quoque Chriſtum prædicabant; vt Imperatoris ira vehementior fieret, diſſeminari Euangelium animaduertentis; & in Pauli caput, quicquid ille furoris concępiſſet, recideret. Itaque duæ agendi rationes ex vinculis meis, tanquam ex cauſa extiterunt. Aliis enim illa multũ animi addiderũt; alios verò in ſpem perniciei meę adducendo ad prędicandum Chriſtum inuitarunt. *quidam quidem propter inuidiam:* ideſt meæ inuidentes gloriæ, & præclaris initiis, meq́; perditum cupientes, mecumq́ue pugnãtes, adiuuant, ac prouehunt actiones meas; vel ipſi quoque honoris cupiditate ducti, ac putantes fore, vt aliquid de mea gloria decerpãt. *quidam uerò, & propter bonam uoluntatem:* ideſt ſine ſimulatione, penituſq́ue ex animo: *quidam quidem ex contentione Christum annunciant non ſyncerè.* ideſt non purè, atque integrè, non propter rem ipſam; ſed cur? *existimantes preſſuram ſuſcitare uinculis meis:* exiſtimantes enim ita mihi maius periculum creari, dolorem dolore cumulant. ò crudelitatem, ò diabolicum impetum. Vinctum cernebant, coniectumq́ue in carcerem; & adhuc inuidebant; augere ipſius calamitates, vehementiorique iræ obnoxium reddere cupiebant. Ac recte dixit, *Existimantes:* non enim id illis ex ſententia ſucceſſit. Nam illi quidem hac re putabant dolorem mihi afferre; ego verò Euangelii progreſſu lætabar. Ita interdum eſt, cum opus bonum non ex bono propoſito fit; nec modo nulla illi merces eſt propoſita; ſed ſupplicium manet. Nam quoniam ideo Chriſtum prædicabant, quòd Chriſti prædicatorem in maiora pericula coniectum vellent; nõ modò nullam capient mercedem, ſed etiam ſupplicio erunt obnoxii, ac poenas dabunt. *quidam uerò ex charitate, ſcientes, quoniam in defenſionem Euangelij poſitus ſum,* ideſt hoc præſtantes, vt ne mihi in rationibus Deo reddẽdis valdè laborandum ſit, & quiddam mihi ſubſidii ad defenſionem afferentes. Horum verborum

hæc

hæc ſententia eſt. Iuſſus ſum prædicare; rationes mihi reddendæ ſunt, ac defenſio comparanda pro impoſito mihi officio; igitur, vt mea defenſio ſit facilior, adiumento mihi ſunt. Etenim ſi multi inuenti fuerint, qui catecheſim accęperint, & crediderint, facilis mihi defenſio erit. *Quid enim? dum omni modo ſiue per occaſionē, ſiue per ueritatem Chriſtus adnūtiatur.* Videte viri philoſophiā. Non in illos vehementer inuectus eſt; ſed factū ipſum narrauit. Quid enim mea, inquit, intereſt; vtrum hoc, an illo modo? dum nihilominus, ſiue occaſione, ſiue veritate Chriſtus interea annunciatur? Non dixit, adnunciator, quaſi legem ferens; ſed primum quidem euentum ipſum narrauit: Deinde etiam ſi legem ferens hoc dixiſſet; non propterea hęreſibus aditum patefeciſſet. Rem enim ipſam, ſi libet, expendamus. Intelligemus profecto, etiam ſi ad eum modum prędicare iuſſiſſet, quemadmodum illi prędicabant; non tamen hac ratione hæreſi locum dari. quomodo? quoniam illi ſanam quidem doctrinam prædicabant; propoſitum verò, ac mens, qua id faciebant, ita corrupta erat, vt non tamen doctrina prędicata variaretur: Sed vt eodem modo prædicarent, magna illis impoſita neceſſitas erat. Quapropter? quoniam, ſi aliter prædicaſſent, ac Paulus; ſi aliter docuiſſent, atque ille; profecto Imperatoris iram non auxiſſent. Nunc verò hoc ipſo, quòd illius prędicationem dilatabant, atque eadem docebant, & ſimiles ſibi, atque ille, diſcipulos comparabant; Imperatorem ad bellum ſuſcipiendum irritare potuerant, tanta diſcipulorum multitudine prodeunte in conſpectum. Sed importunus quiſpiam, & ſtolidus hunc locum repręhendens ita dicet: imo verò illi contrariam rationem ſequuti eſſent, ſi Paulum lędere voluiſſent: non enim fidelium numerum auxiſſent; ſed eos potius, qui iam crediderunt, abegiſſent. Quid igitur nos reſpondebimus? Hoc vnum illos ſpectaſſe, vt Paulum præſentibus periculis circumcingerēt, vt ne illū dimitti ſinerent: atq; hac ratione putabant maiorem ſe illi dolorē allaturos, atq; Euāgelium extincturos, quàm ſi illos abegiſſent; aliter enim faciēdo & Imperatoris iram ſedaſſent, &

Non eſſe aditum dandum hæreſum diſſeminationi.

Paulum

Paulum exire, ac rursus prædicare siuissent. Hoc autem modo totam se rem euertere existimabant; cum ipsum, inquam, de medio substulissent. Neque verò multi huc penetrabant, sed amari quidam homines, & improbi. Deinde *& in hoc, inquit, gaudeo, sed & gaudebo*. Quid hoc est *sed & gaudebo*? etiam si, inquit, magis, ac magis id agant. Nam vel inuiti actiones meas adiuuant; & laborum, quos in hac re impendunt, ipsi quidem poenam, ego verò, qui eò nihil confero, mercedem feram. Est ne quicquam diabolo scelestius hoc agente, vt Euangelii susceptio iis, quibus suscipere persuaserit, supplicium conciliet? Vide enim quantis malis vndique suos perfodiat. Poenam istis, & supplicium ex ipsamet prędicatione, & laboribus in ea suscęptis fabricatur. Ecquis nam alius inimicus, atque hostis, quicquid ad illorum salutem faceret, adeò contaminasset? Intelligis nihil eum posse, qui aduersus veritatem bellum gerit; sed potius seipsum vulnerare, quemadmodum qui aduersus stimulum calcitrat. *Scio enim, inquit, quia hoc mihi proueniet ad salutem per uestram orationem, & subministrationem spiritus Iesu Christi.*

MORALIS DIGRESSIO.



NIHIL diabolo scelestius. Ita vbiq; infructuosis laboribus suos obruit, ac dilaniat; nec solum premiorum compotes esse minime finit, sed etiam supplicio nouit obnoxios facere. nō enim solum prędicationem, sed etiam eiusmodi ieiunia, ac virginitatem ipsis iniungit, quæ non modo premiis sit illos priuatura, verum etiam magnam calamitatem iis, qui ipsam amplexi fuerint, inuectura. De quibus & alibi inquit [cauteriatā habentes suam conscientiam.] Quamobrem hortor, pro omnibus gratias agamus Deo, qui nobis & labores leues fecit, & mercedes auxit. Quas enim mercedes apud nos ii consequuntur, qui caste vtuntur matrimonio; eas apud istos ne illi quidem, qui virginitatem

Imperia Diaboli durissima esse; præcæpta Christi facilia.

1. Tim. 4.

tatem

tatem seruant, assequi possunt. Sed qui apud hęreticos virginitatem colunt; eandem, ac fornicatores, poenam subeunt. Vnde? quòd nihil bono consilio, ac proposito faciunt; sed vt creaturas Dei, immensamque illius sapientiam criminentur. Igitur ne torpeamus negligentia: moderata nobis certamina Deus iniunxit, nullius ferè laboris plena. Nec tamen propterea despiciamus. Nam si hæretici inutilibus laboribus seipsos miserè affligant; quę nobis excusatio reliqua erit; si neque tanto minores, quibusque maxima est proposita merces, subire voluerimus? Ecquod enim Christi præcęptorum graue? ecquod valde molestum est? non potes in virginitate degere? licet tibi matrimonio iungi: non potes tuis te rebus omnibus priuare: licet tibi ex bonis tuis alteri suppeditare [vestra, inquit, abundantia illorum inopiam suppleat.] Nam ista quidem valde grauia videri possint, pecunias pro nihilo habere, & corporea cupiditate superiorem esse. Alia verò, vt præstes; nullo sumptu, nulla violentia opus est. Quam enim tibi vim afferas oportet; vt ne maledicas, nec crimineris temere? ne cæterorum bonis inuideas? ne ambitione capiaris? Tormentis subiici, nec de gradu deiici patientię est; in exercitatione philosophica se continere, patientiæ est; paupertatem ferre; cum fame, ac siti luctari patientię est. At vbi nihil horum pręstare cogeris; sed licet tibi bonis tuis, quatenus Christianum decet, fruentem, alienis non inuidere; quam adhibeas violentiam oportet? Certe inuidia aliunde non existit; quàm quòd ex præsentibus rebus pendemus; imò verò neque aliunde omnia mala. Nam si pecuniam, & gloriam mundi huius pro nihilo putes; neutiquam iis, quibus suppetunt, inuidebis. Sed quoniam istis inhias, ista admiraris, ac stupes; idcirco inuidię, idcirco inanis gloriæ stimulis agitaris; ac denique omnia hinc proficiscuntur; ex admiratione, inquam, vitę pręsentis, rerumque ad illam pertinentium. Inuides illi; quem vides ditescere? At ille misericordia potius, ac lachrymis dignus est. Sed continuò cum risu inquis; ego lachrymis dignus, non ille. Profectò lachrymis dignus & tu; non ideò quòd pauper es; sed quoniam

2. Cor. 8.

Ex amore rerum præsẽtium oĩa mala existunt.

Diues nõ inuidia, sed misericordia dignus est.

quoniam te ipsum miserum ducis. Eos enim, quibus nihil mali adest, ac tamen ægro animo sunt, lachrymis prosequimur; non quòd malè habent; sed quòd, cum minimè malè habeant, habere se putant. Etenim dic mihi, si quis à febre liber mereat, valensque decumbat, atque in lectulo circumferatur; non ne iste lachrymis dignior, quàm febri laborantes? Tu quoque lachrymis dignus; propterea quòd te ipsum miserabilem ducis; minime verò propter paupertatem: nam paupertas ipsa vel beatissimum te faceret. Quid est, quòd inuideas diuiti? quòd seipsum pluribus curis subiecit? quòd difficiliori seruituti? quòd sexcentis catenis, veluti canis quispiam, suis pecuniis illigatus est? Aduenit vesper; successit nox; huic verò solatii, ac requietis tempus fit tumultus, tristitiæ, moeroris, solicitudinis tempus. Increpuit quid? continuò proripit se. A latronibus spoliatus est quispiam? qui nullum damnum fecit; maiore torquetur solicitudine, quàm ille, qui fecit. Nam ille quidem semel perdidit, ac dolorem accepit; deinde verò curam deposuit; hic vero perpetuò secum illam gerit. Aduenit nox, portus malorum nostrorum, nostrarum calamitatum solatium, vulnerum medicamentum. Nam & illi, qui in luctu aliquo sunt, amicis quidem, & cognatis, & familiaribus, ac sæpe etiam patribus consolationem afferentibus non obtemperarunt, neque morem gesserunt; sed illo ipso sermone ad iracundiam sunt prouocati; somno autem requietem indicente, ne oculos quidem contra attollere valuerunt. Nullus enim estus est; qui æquè atque acerbitas doloris, animas nostras cruciet. Quemadmodum igitur corpus valdè estuans, & sub feruentioribus radiis fatiscens, diuersorio quasi cuidam multis irriguo fontibus, & ex leui aura solatium afferenti commendare solemus; ita nox somno commendat animam nostram; vel potius neque nox, neque somnus hoc præstat; sed omnia hęc à Deo profecta sunt; qui miseram humani generis conditionem nouit. Verum nos nulla nostri misericordia tangimur; sed perinde, ac nobis ipsis inimici simus, tyrannidem naturali necessitate, & solatio superio-

rem nobis comparauimus; vigilias, inquam; quę ex diuitiis existunt. [Diuitiarum enim, inquit, cura aufert somnum.] Ac vide quanta sit Dei prouidentia. Solatium, & requietem hanc non proposito consilioque commisit; non somni vsum electionis nostræ esse voluit; sed naturalis necessitatis vinculis adstrinxit; vt vel inuiti beneficium accipiamus. Dormire enim naturæ est. Nos autem quasi nos ipsos valde oderimus, quasi non nos, sed alienos bello persequamur, ac vexemus; hac ipsa naturali necessitate maiorem nobis tyrannidem imposuimus, illam nimirum, quæ ex pecuniis est. Dies illuxit; atque hic sibi metuit à sycophantis: nox successit; timet latrones: imminet mors: non tantum ex ipsa morte doloris capit; quàm quòd sua in aliorum manus deuenient: puerulum habet? tunc verò tanto maior cupiditas; tunc se pauperem putat: non habet? ęgritudine conficitur. Hunc igitur beatum iudicas; ad quem nullo ex loco affluere potest voluptas? huic fluctibus iactato inuides; cum tu in tranquillo portu, paupertate, inquam, conquiescas? Verè & hæc infirmitas est naturę humanæ, bona generosè non ferre, sed ea, vnde nobis benè est, contumeliis incessere. Atque hæc quidem in hoc mundo. Verum cum illuc abierimus; audi, quid dicat diues ille innumerabilium bonorum dominus, quemadmodum quidem tu dicis: neque enim ego equidem bona dixerim, sed indifferentia. Hic igitur innumerabilium bonorum dominus, audi quid dicat, & cuius rei necessitate laboret [pater, inquit, Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam; quoniam crucior in hac flamma] Nam tametsi diues iste nihil eorum malorum, quę supra commemorabam, perpessus esset; tametsi omnem vitam solicitudine, & cura liber placidissimè egisset; quamquam, quid dico, omnem vitam egisset? vnicum illud momentum (momentum enim est; vt vnicum, inquit, momentum est omnis nostra vita, si cum illo infinito seculo conferatur) tametsi igitur omnia illi ex sententia fluxissent; nonne ex his ipsis verbis, vel potius ex his ipsis rebus miserabilis est? An non vino tua vndique mensa redundabat?

Eccl. 31. ubi uulgata habet, uigilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius aufert somnum.

Diuitiæ nõ sunt bona, sed indifferentia.

Lu. 6.

bat? nunc verò ne guttam quidem aquæ in potestate habes, nunc cum maxime eges. An non pauperem illum vlceribus deiformatum despiciebas? nunc verò postulas; vt ipsum possis aspicere; ac nemo permittit. Ad fores tuas iacebat; nunc verò in sinu Abrahæ conquiescit. Tu sub amplis laquearibus cubabas; nunc verò in igne geennæ. Audiant hęc diuites, vel potius non diuites sed inhumani, & qui nullo misericordiæ sensu tanguntur. Non enim idcirco ille puniebatur; quoniam diues erat: sed quoniam misertus non est. Licet enim diuiti, dummodo misericordia se duci sinat, cuiusuis boni esse compoti. Ac sanè ob hanc causam neminem iste alium vidit, quàm illum pauloante ipsius egentem; vt hinc in memoriam rediens factorum suorum, intelligeret iustè se huiusmodi poenis affici. An fortasse deerant sexcenti alii pauperes iusti? sed, qui ad fores ipsius iacebat, is illi se spectandum præbet, vnà erudiens ipsum, ac nos; quantum boni sit pecuniis non confidere. Nihil illi paupertas obfuit ad regnum consequendum; nihil huic diuitiæ profuerunt ad vitandam geennam. Quousque pauperes? quousque mendici? Non est, non est pauper ille; qui nihil habet; sed qui multa cupit: non est diues, qui multa possidet; sed qui nullius eget rei. Quid enim prodest vniuersum quidem terrarum orbem possidere, nihilo verò iucundius iis viuere, qui nihil habent? Electiones ipsæ & vitę instituta sunt; quæ diuites, & pauperes faciunt; non pecuniarum abundantia, aut inopia. Vis tu ò pauper ditescere? si velis; licet tibi: nemo est, qui prohibeat: contemne mundi pecunias: pro nihilo illas habe; quemadmodum reuera nihil sunt; abiice diuitiarum cupiditatem: & factus es diues. Qui ditari non vult; hic est, qui ditatur. Qui minime vult in paupertatem incidere; is incidit. Nam quemadmodum is verè ęgrotat, qui etiam in sanitate languet, seque affligat, non ille, qui morbum nihilo difficilius fert, quàm integram sanitatem; ita etiam pauper est, qui paupertatem ferre non potest, atque vndique affluentibus diuitiis se præ omni-

bus pauperibus pauperem putat; non ille, qui paupertatem facillimè ferens hilarius viuit, quàm diuites. Hic enim longè ditior est. Dic enim mihi, cur paupertatem times? cur tremis? non ne propter famis periculum, non ne propter periculum sitis, & frigoris? non ne ob alias huiusmodi causas? At nemo, nemo, inquam, est; cui his de causis desperandum aliquando fuerit. [Respicite enim in antiquas generationes, & videte. Quis credidit Deo, & derelictus est; vel quis sperauit in ipso, & confusus est?] & rursus. [Respicite volatilia coeli, quę non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & pater vester coelestis pascit illa]. Non cito quisquàm nobis quempiam protulerit; qui fame aut frigore perierit: Quid igitur causę est, quamobrem paupertatem timeas? nihil habes, quod respondeas. Nam si necessaria tibi suppetunt; cur denique illam times? quòd non tibi adest famulorum multitudo? id verò nihil aliud est, quàm à dominis esse liberum; quàm perpetua quędam beatitudo; quàm curarum vacuitas, & libertas. An quòd vasa, lectos, suppellectilem non habes ex argento fabrefacta? Ecquid plus habet, quàm tu, quod ad fruendum pertinet, is, cui ista suppetunt? nihil. Vsus enim idem est, siue ex hac, siue ex illa materia constent. An quòd multis non es terrori? Absit, vt id tibi vnquàm in mentem veniat? Quæ enim voluptas, esse, qui te metuant, ac formident? An quòd alios formidas? at licet non formidare [Vis enim inquit, non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa]. Atenim dicis; facile contemnimur, facile malis afficimur: quinimo id potissimum facit improbitas, non paupertas. Etenim cum multi pauperes vitā agant sine molestia; non defuerunt principes abundantes diuitiis, ac dynastę; qui quouis facinoroso, & latrone, & sacrilego deterius multati discesserunt. Quod enim in te paupertas; id in illo diuitię faciunt. Nam qui malefacere volunt; quemadmodum tibi ex contemptu; ita diuiti ex inuidia, & liuore malefaciunt; atque hi magis, quàm illi: Hi enim validiore impetu ad malefaciendum impelluntur. Etenim qui inuidet; omnem animi, vim & fa-

Eccl. 2. ubi uulgata [respicite filij nationes hominū etc.]

Matt. 6.

Ro. 13.

& facultatem in agendo adhibet. At qui contemnit; sæpè etiam illius, quem contemnit, miseretur; atque hoc ipsum causa illi salutis fuit, pauperem, inquam, esse; nihil habere virium. Ita enim aduersus eum, qui pauperi imminet, dicere soliti sumus; magnum verò quiddam effeceris; si hunc sustuleris; si pauperem vnum interfeceris; en quanta, & quàm ampla consequeris præmia; atque his verbis furorem illius cohibemus. At aduersus diuites inuidia ita insurgit; vt non ante desinat, quàm quod vult, effecerit, suumque venenum euomuerit. Vides non in paupertate, aut diuitiis sitam esse boni naturam, sed in nostra electione. Hanc igitur componamus; doceamusque philosophari. Si hęc bene se habuerit; neque diuitię nos excludere à regno poterūt; nec quicquam nobis adimet paupertas; sed ęquo ipsam feremus animo, nullum ex ea detrimentum aut ad futura bona consequenda, aut in hac vita reportantes: quinimo & his fruemur, & coelestibus illis potiemur bonis; quibus vtinam digni efficiamur gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri &c.

SERMO TERTIVS.



T in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim, quia hoc mihi proueniet ad salutem per uestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu Christi secundum expectationem, & spem meam; quia in nullo confundar, sed in omni fiducia, sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo siue per uitam, siue per mortem. Magnam & philosophicam animam nihil, quod in hac vita molestè accidat, lædere potest; non inimicitiæ, non accusationes, non calumnię, non pericula, non insidiæ. Nam, perinde atque in excelsum quoddam montis cacumen se recęperit; nihil ad illam ex iis, quæ de inferiore loco, de terra, inquam, iaciuntur, peruenire potest. Talis erat Pauli anima: quouis fastigio altiorem locum prehenderat, locum philoso-

Ethnici nō habent ueram philosophiam. philosophię spiritualis, verę philosophię. Nam ea, in quibus ethnici versantur, verba tantummodo sunt, & puerorum lusus. Verum de his nunc nobis sermo non est; sed de Pauli rebus verba facimus. Beatus quidem ille & Imperatorem hostiliter sibi aduersantem habebat, & alios prętere a inimicos; qui variis, & acerbissimę calumnię plenis modis ipsum vexabant. Et quid ait? non modo propterea non doleo, neque animo concido; sed etiam gaudeo, & gaudebo: non ad tempus, inquit, sed semper de his gaudebo. *Scio enim, quia hoc mihi proueniet ad salutem*, nimirum eam, quæ futura est. Et quomodo non proueniat; quando & inimicitię, & Zelus aduersum me susceptus Euangelicæ prædicationi adiumento est? *Per uestram orationem, inquit, & subministrationem spiritus Iesu Christi secundum expectationem & spem meam* Vide beati huius humilitatem: in certaminibus laborarat: innumerabilia erant ipsius benefacta; iam iamque coronam ipsam tenebat: Paulus enim erat: Nam quid maius dici potest? ac tamen Philippensibus ad hunc modum scribit, per vestram orationem possum salutem consequi: ille inquam, cui sexcenta benefacta salutem compararant. *Et subministrationem, inquit, Spiritus Iesu Christi* idest si per vestras preces dignatus fuero gratia. Vox enim ista *subministrationem* hoc significat, si subministretur, si mihi plus spiritus tributum fuerit. Illa autem *ad salutem* hoc valet, ad hoc, vt liberer, & ex præsenti periculo perinde, atque ex primo eripiar. De primo

2. Tim. 4. enim dixit [in prima mea defensione nemo mihi adfuit; non illis imputetur: Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me] Hoc igitur & nunc prophetice prædicit: *per uestram orationem, & subministrationem spiritus Iesu Christi secundum expectationem, & spem meam*. Ita enim, inquit, spero; Nam, vt nos doceat, non ita totum committere precibus, quæ pro nobis funduntur, vt nihil ipsi afferamus; Vide quomodo exponat, quid ipse attulerit; nimirum spem omnium bonorum causam; quem-

Ps. 32. admodum propheta inquit [Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum sperauimus in te] quemadmo-

admodum & alibi alius [respicite in antiquas generatio- *Eccl. 2.*
nes, & videte : quis sperauit in domino, & confusus
est?] & rursus beatus hic inquit [spes autem non con- *Ro. 5.*
fundit] *secundum expectationem, inquit, & spem meam, quia in nullo confundar* Hæc est Pauli spes; sperare nusquam se confusum iri. Vides quantum valeat sperare in Deo. Quicquid, inquit, eueniat; non confundar; idest non hi me superabunt. *Sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo*. Sperabant illi dolo suo veluti laqueo quodam hoc se efficere posse; vt Paulum quidem e medio tollerent, prædicationem verò extinguerent. Id igitur nunc futurum negat; non nunc, inquit, moriar, *sed sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo*. Quomodo? sæpè in pericula incidi; in quibus de nobis non modo alii, sed nos ipsi desperabamus ([ipsi enim, inquit, in nobismetipsis respon- *2.Cor. 1.*
sum mortis habuimus]) ac tamen ex omnibus nos eripuit Deus; ita & nunc magnificabitur in corpore meo. Verùm ne quis ita cogitet, ac dicat; quid si tu obieris; non magnificabitur? probè, inquit, noui; atque ideo non dixi, per solam vitam magnificari dominum; sed addidi etiam, per mortem. Sed interea inquit; per vitam. non enim me tollent; quòd si tollant; nihilominus ita etiam magnificabitur Christus. Quomodo? per vitam quidem; quoniam me eripuit; per mortem verò; quoniam neque mors, vt illum negarem, mihi persuasit; quoniam ille tantum mihi alacritatis largitus est, meque morte superiorem fecit: ibi quidem, quoniam me à periculis liberauit; hìc verò, quoniam mihi me à mortis tyrannide metuere non sinit. Ita per vitam, & mortem magnificabitur. Hæc verò, inquit, non quòd mortem esset obiturus; sed ne illi, vbi mortem obierit, humana quadam perturbatione tententur. Etenim ne putarent tanquàm obiturum hæc dixisse, quod magna illos ęgritudine affecisset; vide quomodo adhibeat consolationem, talibus propè verbis vsus.

Hæc

Hęc autem loquor, non quasi mihi moriendum sit: propterea & in progressu illa adiungit [& hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis] *quia in nullo, inquit, confundar*, id est nullam mihi ignominiam, sed magnum lucrum afferet mors. perinde ac si diceret; immortalis quidem minimè sum; sed clarior ero, quàm si immortalis etiam essem. Non enim par laus est; si immortalis mortem contemnat, ac si mortalis. Quamobrem etsi moriendum nunc mihi esset; nullum hinc subirem dedecus, verũtamen non moriar: *in nullo confundar*, neque si viuam, neque si moriar: vtrumque enim generosè feram: siue viuendum, siue moriendum sit, honestatem tueri hoc christianę animę est. *Sed in omni, inquit, fiducia*: vides quomodo non confundar? Nam si quidem mortis timor meam mihi ademisset fidentiam; pudendum sanè fuisset mori. Nunc verò, cum illa impendens me nihil terruit; nullum profectò in ea dedecus esset. Sed siue viuam, ex vita non confundar (Prædico enim Euangelii prædicationem) siue moriar, ex morte non confundar: non enim coercet me timor: eandem enim fidentiam, atque animi libertatem præ me fero. Neque enim, quòd vinculorum mentionem feci; rem istam turpem putetis. Tantorum mihi bonorum efficientia fuerunt; vt cæteris etiam animum addiderint, quo confidant. Non enim vinctum esse pro Christo, sed vinculorum metu prodere quippiam eorum, quæ ad Christum pertinent, id turpe est. Quandiu istud minimè accidet; firmiorem potius, atque audentiorem animum vincula faciunt. Non, quoniam sæpe ex periculis euasi (atque inde est, cur aduersus infideles glorier;) si quid simile accidat; iam vos confundi, atque ignominia notari existimetis. Nam & hoc etiam non minus vobis libertatis, ac fidentiæ prębet, quàm illud. Vide, quomodo sub persona sua hanc rem pertractet: quod & sæpè alibi facit: quemadmodum erga Romanos.

C. 1. [Non enim erubesco Euangelium] quemadmodum erga Corinthios [hæc autem transfiguraui in me, & Apollo]

1. Cor. 4. *siue per uitam, siue per mortem*. Non hoc veluti ignorans dicit: nouerat enim minimè tunc sibi moriendum esse, sed in sequenti

quenti

quenti tempore. Attamen iam ipſorum animam pręparat. *Mihi enim, inquit, uiuere Chriſtus, & mori lucrum.* Nam & moriendo, inquit, non moriar, vitam habens in me ipſo. Tunc me ſuſtuliſſent; ſi per metum potuiſſent ex anima mea fidem exturbare. Quandiu vero Chriſtus mecum fuerit; etiam ſi mors ingruerit, viuam. Atque in hac etiam vita, non hoc mihi viuere eſt, ſed Chriſtus. Quòd ſi dum hìc viuo; non hoc mihi viuere; quid in altero ſeculo futurum eſt? [Quod verò nunc, inquit, in carne viuo, in fide viuo.] *Gal. 2.*
Hoc & ibi dicit. [Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus] Talem oportet Chriſtianum eſſe: non viuo, inquit, communem vitam. Quomodo igitur viuis beate Paule? non ſolem aſpicis? non communem aerem reſpirando ducis? non iiſdem, atque omnes, alimentis nutriris? non terram, quemadmodum nos facimus, calcas? non ſomni eges? non veſtium? non calceorum? Quid inquis, non viuo? Quomodo non viuis? quid ſibi vult iſte verborum tumor? Non ſunt hæc tumoris, & oſtentationis. Etenim, niſi res ipſæ teſtimonium darent, merito illa quiſpiam tumori, ac vanitati adſcriberet. Nunc verò cum res ipſæ teſtimonium dant; quam oſtentationis ſpeciem habebunt? Diſcamus igitur, quomodo non viuat. Nam & alibi, inquit, [ego crucifixus ſum mundo, & mihi mundus] *Gal. 6.* Quomodo igitur dicit [non iam ego viuo] & quomodo rurſus *mihi uiuere Chriſtus?* Audiatis. Vitę nomen multiplex eſt, dilecti; ideſt multa ſignificat: quemadmodum mortis etiam nomen. Eſt vita hęc corporis; eſt etiam vita quędam ipſius peccati: quemadmodum Paulus alibi dicit [ſi enim mortui ſumus peccato; quomodo adhuc viuemus in illo?] *Ro. 6.* Eſt igitur viuere peccati vitam: attendite obſecro diligenter, ne fruſtra laboremus. Eſt vita ęterna & immortalis; quę etiam coeleſtis eſt [noſtra enim, inquit, conuerſatio in coelis eſt] *Phil. 3.* Eſt etiam vita corporis, de qua dicit [per ipſum viuimus, & mouemur, & ſumus] *Act. 17.* Non igitur negat naturalem ſe vitam viuere; ſed eam, quę peccatorum eſt, quam viuunt omnes homines. Et merito quidem negat. Nam qui præſentis vitę cupidus non eſt;

quomodo hanc viuit? qui ad alteram festinat; quomodo hanc viuit? qui mortem contemnit; quomodo hanc viuit? qui nihil ex iis quæ in mundo sunt, amat; quomodo hanc viuit? Nam quemadmodum qui ex adamante constat; ne si millies quidem percutiatur, quicquam commouebitur; ita etiam Paulus: [viuo autem, inquit, non iam ego] idest non iam vetus homo: & rursus alibi [Miser ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis huius:] Ita qui nihil alimenti, nihil vestium, nihil vllius rei præsentis causa facit; quomodo hìc viuit? Hic profectò ne naturalem quidem vitam viuere dicendus est. Qui nihil eorum, quæ ad vitam faciunt, curat; is nec viuit. Nos hanc vitam viuimus; qui pro hac omnia facimus: ille verò non viuebat, neque in rebus vllis inferioribus versabatur. Quomodo igitur viuebat? Ita etiam de quibusdam dicimus; ille mihi non adest; vbi nihil agat, quod ad me pertineat. Ita etiam rursus, ille mihi non viuit. Quòd enim naturalem hanc vitam non reiiciat; alibi his verbis ostendit. [Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit se ipsum pro me] idest nouam quandam vitam viuo, atque ab vsitata longe diuersam. Hæc sane omnia ad Philippensium consolationem dicit. Ne putetis, inquit, fore, vt hac vita spolier: quandoquidem ne viuens quidem hanc viuebam vitam. Dic enim mihi, qui pecunias contemnit, qui cibum, qui famem, & sitim, qui pericula, qui sanitatem, qui salutem; is hanc vitam viuit? qui nihil in terris habet, qui sæpè profundere ipsam cupit, si opus sit, neque reluctatur; is hanc viuit vitam? neutiquam. Sed istud uobis quasi exemplo quodam perspicuum faciendum est. Esto quispiam diuitiis multis, famulis, auro abundans; nulla autem harum rerum vtatur: num is diuitiis istis diues erit? minime. Sed videat præterea bona à filiis dissipari temere circumcursantibus, nec quicquam curet; adde etiam si vis; percussus non doleat; an hunc dicemus in diuitiis esse? nequaquam; tametsi ipsius sunt diuitię. Ad hunc etiam modum se habebat Paulus. *Mihi, inquit, uiuere Christus*: si meam vestigas vitam, ille est

Gal. 2.
Ro. 7.
Gal. 2.

est *& mori lucrum*: cur? quoniam maior mihi illius notitia erit; & familiarius cum ipso uersabor. Quare hoc nihil aliud est, quàm moriendo ad vitam peruenire; Nihil mihi durius facient, qui interfecerint, ad meam me emittentes vitam, & ab hac quæ mihi apta non est, liberantes. Quid igitur? dum hìc es, Christi non eris? & valde quidem. *Viuere autem in carne, hoc mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro.* Ne quis dicat; si igitur illud est vita; cur Christus hìc te manere sinit? *fructus, inquit, operis est*: quamobrem licet præsenti etiam vita eò, quò oportet, vti: quomodo? si ipsam minimè viuamus eo modo, quo vulgus viuit. Hoc ideo inquit, ne putes vitam ipsam crimini dari; neque dicas, si igitur hìc nulla nobis comparatur vtilitas, quid est, cur nos non è medio tollamus, & occidamus? neutiquam, inquit: Licet ex hac etiam mansione lucrum reportare, si hanc uitam minimè viuamus, sed alteram. Ergo, si quispiam fortè Paulum interroget; hoc ne tibi fructum affert? certe, inquit; Vbi nunc hæretici? Audis nunc, *uiuere in carne hoc fructus operis*: operis enim inquit: quomodo fructus operis? [quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo] hinc fructus operis. *Et quid eligam ignoro.* Papè quanta est philosophia? Quomodo præsentis vitæ cupiditatem abiecerat; nec tamen illam criminabatur? nam his quidem verbis, *mori lucrum*: cupiditatem abiiciebat; illis vero, *uiuere in carne fructus operis*, ostendit præsentem quoque vitam esse necessariam; si ipsà, quo oportet, vtamur; si fructum feramus. Etenim si infructuosa sit; neque uita amplius est. Nam & arbores quæ fructum non ferunt; itidem, atque aridas auersamur, & in ignem coniicimus. Rursus enim uita est ex earum rerum numero; quæ mediæ sunt, & indifferentes: bene autem, uel malè viuere in nobis est situm. Igitur ne displiceat uita. Nam licet etiam honestè uiuere; ut si malè uita utamur, non etiam propterea ipsam accusare debeamus. quapropter? quoniam non ipsa causa fuit; sed electio eorum, qui malè ipsa sunt usi. Nam Deus quidem ideo te fecit viuere; vt ipsi viuas. Tu verò propter vitiositatem pecca-

Gal. 2.

Vita est ex numero rerum indifferentium.

to viuens, omnem in te hærere culpam voluisti. Quid ais quæso Paule? ignoras, quid eligas? Hoc loco magnum patefecit mysterium. His enim verbis ostendit, factam sibi esse potestatem decedendi. Quandocunque enim hoc elegerimus; potestatem habemus. *Quid eligam, inquit ignoro*. Ergo in te situm est? certe, inquit si à Deo hanc postulare gratiam voluero. *coarctor è duobus, desiderium habens*. Attende beati huius paternum affectum. Hac etiam ratione ipsos consolatur. Vbi enim intellexerint, id in ipsius voluntate situm esse, neque ab hominum improbitate, sed à Dei cuncta disponentis prouidentia proficisci; non leue hoc erit ad consolationem accipiendam momentum. Cur ergo, inquit, mors vobis moerorem affert? multò satius erat iampridem decessisse *dissolui enim, inquit, & esse cum Christo multo melius, manere autem in carne magis necessarium propter uos*. Hęc pręparabant ad futuram ipsius mortem generosè ferendam: hęc philosophiam docebant. Bonum, inquit, est dissolui, & esse cum Christo. Nam & ipsa mors in numero rerum indifferentium est. Non mors malum est; sed post mortem poenas dare hoc malum est: neque verò bonum est mors; sed postquam decesseris, cum Christo esse, id bonum est; ita planè; vt quæ post mortem, ea demum sint vel bona vel mala.

Mors est in numero rerum indifferentium.

Quæ post mortem ea bona, uel mala.

MORALIS DIGRESSIO.



IGITVR non generatim eos, qui moriuntur, lugeamus, neque de viuentibus generatim gaudeamus: sed quid? lugeamus peccatores non solum morientes, sed etiam viuentes. De iustis gaudeamus non solum dum viuunt, verum etiam postquam mortui fuerint. Nam illi quidem etiam dum viuunt; mortui sunt; hi vero etiam cum mortui fuerint; viuunt. Illi etiam dum hìc sunt, omnium elicere misericordiam debent; quoniam Deum offendunt: hi verò

Qui nam & uiui & mortui sint digni lachrymis.

hi verò illuc etiam translati beati sunt; quoniam ad Christum sunt profecti. Peccatores, vbi vbi sunt; procul à rege sunt: propterea lachrymis digni. Iusti autem siue hìc, siue ibi; cum Rege sunt; atque ibi quidem multo magis, ac propius, non quasi quodā interiecto vestibulo, non per fidem, sed faciem, inquit, ad faciē. Non igitur vniuersè ploremus mortuos; sed eos, qui in peccatis: hi lamentis digni, hi eiulatu, hi lachrymis. Quæ enim dic mihi, spes est vnà cum peccatis eò discedere; vbi peccata exuere non licet? Donec enim hìc erant; magna forsitan erat spes, fore, vt conuerterentur; vt meliores euaderent: at si in infernum abierint, vbi nihil lucri ex poenitentia reportari potest, (Nam [in inferno, inquit, quis confitebitur tibi?]) quomodo non lamentis digni? lugeamus eos, qui hoc modo decedunt, non veto; lugeamus; sed non pręter decorum, non vellentes capillos, non brachia nudantes, non lacerantes faciem, non pullas vestes induentes; sed solum in anima lachrymas amaras quiete fundamus. Etenim sine hac etiam pompa est amarè flere, & non tantum ludere. Nam quæ à nonnullis fiunt; à puerorum lusibus nihil differunt. Quoniam enim fletus illi forenses non ex dolore, quem quidam naturæ consensus attulerit, proficiscuntur, sed ex ostentatione, & ambitione, & vanę glorię studio; ideo multæ inueniuntur mulieres; quæ huius rei artem exercent. Amarè fleas; domi plores, nemine vidente. Id misericordiæ fuerit; id tibi etiam profuerit. Nam qui illum hoc modo luget; multo magis ipse studium adhibebit; ne in eadem incidat mala, Terrorem tibi posthac peccatum incutiet: luge infideles; luge eos; qui nihil ab infidelibus differunt; qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt. Hi verè lamentis digni, hi lachrymis. Extra regiam sunt vnà cum iis, qui poenę sunt obnoxii, vnà cum damnatis. [Amen dico vobis, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, non introibit in regnum coelorum] luge eos, qui in diuitiis sunt mortui; cum ex diuitiis nullum animabus suis solatium comparassent; eos, quibus abluendi peccata sua potestas facta erat, & noluerunt. Hoc quidem

nos

1. Cor. 13.

Ps. 6.

De iis, qui sine baptismo decedūt.

Io. 3.

nos omnes, & publicè, & priuatim lugeamus; sed ita, ut à decoro ne recedatur; ut grauitatem tueamur; ut ne nos ipsos ludibrio exponamus. Hos lugeamus non unum, aut alterum diem, sed per omne uitæ nostræ tempus. Lachrymę hę non sunt amentis perturbationis, sed ueri, ac germani amoris: illę uerò amentis planè affectionis; propterea etiam citò arescunt. Quæ enim ex Dei timore proficiscuntur; semper durant. Hos igitur lugeamus; opem pro uiribus feramus; aliquod ipsis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodo, qua uè ratione? cum ipsi preces fundentes, tùm alios, ut pro ipsis fundant, obsecrantes, ac pro ipsis perpetuo dantes eleemosynas pauperibus. Affert hæc res aliquid solatii. Audi enim Deum ita dicentem. [Protegam urbem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum] Si sola iusti memoria tantum ualuit; ubi opera prę-terea pro mortuo fiant; quid non poterunt? Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta; ut in uenerandis, inquam, atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat; qui decesserunt. Nouerant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo uniuersus populus stat manibus passis, ac cętus sacerdotalis, & illud horrorem uenerationis plenum incutiens sacrificium; quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt. Catechumeni uero neque hac dignantur consolatione; sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale uerò hoc? licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis. Vult enim Deus, nos nobis mutuum auxilium afferamus. Ecquid enim aliud causæ sit; quamobrem pro pace, & bono mundi statu precari iusserit? quamobrem pro omnibus hominibus? nam hìc quidem inter omnes sunt etiam latrones, sacrilegi, fures, atque alii sexcentis scatentes malis; ac tamen pro omnibus precamur: erit enim fortasse quædam ipsorum conuersio. Quemadmodum igitur pro uiuentibus istis precamur, qui nihil a cadaueribus differunt; ita pro illis etiam

4. Re. 19.

Opera pro mortuis.

Traditiones Apostolorum.

Traditiones Apostolorum sunt iußæ à Deo.

precari

precari licet. Iob pro filiis sacrificia faciebat; & ipsos à peccatis liberabat [ne quid forte, inquit, cogitauerint in cordibus suis] Hoc modo consulitur liberis. *Iob. 1.* Non dicebat; quod plerique homines solent; opes illis relinquam; non dicebat, gloriam illis comparabo; non dicebat, mercabor principatum; non dicebat, agros emam; sed quid? [ne quid cogitauerint in cordibus suis.] Quæ enim ex rebus illis utilitas, cum hìc restent? nulla. Illum, inquit, omnium Regem propitium ipsis reddam; & nihil ipsis posthac deerit. Inquit enim, [Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.] *Psal. 22.* Hæc est magna opulentia; hic thesaurus est: si Dei timorem habeamus; nullius rei egemus; sin minus; tametsi regnum obtineamus; omnibus hominibus magis pauperes sumus. Nihil ei par inueniri potest; qui Deum timet. Nam [timor, inquit Domini super omnia se superposuit]: hunc nobis comparemus: *Eccl. 25.* pro hoc omnia faciamus; etiam si reddenda anima sit, etiam si corpus trucidationi exponendum; non ideo refugiamus, omniaque faciamus, vt hunc timorem consequamur: hoc enim modo & omnibus erimus opulentiores, & futura consequemur bona in Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri, simul sancto spiritui gloria, Imperium, honos nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

SERMO QVARTVS.



T quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne magis necessarium propter uos: & hoc confidens scio, quia manebo, & commanebo omnibus uobis ad profectum uestrum, & gaudium fidei; ut gloriatio uestra abundet in Christo Iesu in me per meum aduentum iterum ad uos. Nihil Pauli anima

li anima beatius; quoniam nihil etiam magis generosum. Nunc verò contra de omnibus dici potest. Nihil nobis infirmius; nihil miserius. Propterea omnes horremus mortem, partim quidem peccatorum multitudine grauati, quorum ego quoque vnus sum, partim vero vitę cupidi, & mori miserum ducentes; quibus ego vtinam nunquam adnumerer. Animales enim sunt, qui hunc timorem timent. Ergo hoc quod omnes horremus; ille optabat; eòque incumbebat; ita dicens, *Dissolui multo magis melius, & quid eligam ignoro*. Quid ais? Cum hinc abiens ad cælum sis migraturus, & cum Christo futurus; ignoras quid eligas? sed longe nos absumus à Pauli anima. Quis enim fuerit, cui si hęc verè feratur conditio; non illam quamprimum arripiat? Certè, inquit, ignoro. Sed quemadmodum minimè nostrum est posse illud dicere, cupio dissolui, & esse cum Christo; ita cum id assequi liceat, minimè nostrum est, hìc manere velle. Sed vtrumque Pauli est, & beatæ illius animę. Quid est, quod dicis? nosti, ac pro comperto habes futurum te esse cum Christo; & hæsitas, ac dicis, quid eligam nescio? neque hoc tantum, sed etiam hìc manere eligis? manere, inquam, in carne? Quid ita? non ne acerbam
2. Cor. 11 vitam ducebas? in vigiliis, in naufragiis, in fame, & siti, & nuditate, in curis, & solicitudinibus; cum iis, qui infirmabantur, infirmabaris; propter eos, qui in scandalum incidebant, vrebaris. [in multa, inquit, patientia, in tribu-
2. Cor. 6. lationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in ieiuniis, in castitate; quinquies quadragenas vna minus accepi; ter uirgis cęsus sum; semel lapidatus sum; nocte, & die in profundo maris fui; periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus] Nonne cum tota Galatarum gens ad legis obseruationem
Gal. 5. reuersa esset, clamabas dicens [qui in lege iustificamini, à gratia excidistis?] Quem tunc luctum non hausisti? atque adhuc moribundam hanc vitam desideras? Nam tametsi nihil horum tibi accidisset; & omnia quęcunque rectè fungebaris, quietè, & cum voluptate functus esses; non ne tamen

tamen oportebat incerta futuri temporis pertimescentem ad portum aliquem contēdere? Ecquis mercator naui vectus innumerabilium thesaurorum plena, si liceat subire portum, ac requiescere; mari adhuc iactari malit? Ecquis athleta, cum liceat corona potiri, adhuc certare postulet? Ecquis pugil, cum coronam possit induere, malit rursus in certamen descendere, & suum ipsius caput concidendum prębere? Ecquis dux, qui à bello cum gloria, & trophęis liberari queat, & cum Rege in Regia quietus degere, seque oblectare; adhuc & sudare pręoptet, & in aciem prodire? Quomodo igitur adeo acerbam vitam viuens adhuc vis in terris manere? an non tua sunt ista verba? [timeo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar:] si nihil aliud præterea causę fuisset; hæc satis erat, quo liberatio desideraretur: si innumerabilibus bonis pręsens vita abundasset; ab hac tamen liberari optandum erat, ob Christum, quem desiderabas. O Pauli animam: nihil illi par aut fuit, aut futurum est. Times, si in hac vita permaneas, quid futurum sit; innumeris malis implicatus es; ac tamen recusas apud Christum esse? Recuso, inquit, idque propter Christum; vt quos illi paraui seruos, firmius in illius amore stabiliam; vt ex agro, quem plantaui, fructus extare faciam. Non audisti, me non quęrere, quod mihi vtile est, sed quod proximis? Non audisti, mihi in optatis fuisse anathema fieri à Christo; quò multi ad illum venirent. Qui illud elegi; non multo magis hoc eligam? ut damnum ipse ex hac mora, & dilatione faciam; quò illis aliqua ad salutem accessio fiat? Quis loquetur potentias tuas Domine; qui Paulum minimè latere siueris; qui talem virum orbi ostenderis? laudarant scilicet te omnes angeli vno animo; cum astra fabricatus es, & solem; sed non perinde, atque eo tempore; quo nobis, totique orbi Paulum ostendisti. Hinc terra facta est spendidior cœlo. Pulchrior hic solis lumine, splendidiores emisit fulgores; lętos effudit radios. Quantum hic nobis peperit fructum, non spicas pinguefaciens, aut arbores nutriens, sed ipsum pietatis fructum & procreans, & ad vigorem adducens,

1. Cor. 9.

1. Cor. 10.

Ro. 9.

Psal. 15.

Iob. 38. uulgata autem paulo aliter habet.

Paulus pulchrior sole.

cens, & eos, qui concidebant, assiduè recreans? Nam hic quidem sol, quod semel in arborum fructibus computruerit, restituere nequaquam poterit: Paulus autem eos etiam, qui sexcenta vlcera ex peccatis habebant, ad vitam reuocauit. Atque hic quidem nocti decedit: ille verò Diabolo superior fuit. Nihil illum euertit; nihil superauit. Hic de sublimi loco dum fertur, radios deorsum emittit; Paulus vero de infero loco exoriens non cœli, ac terræ dimidium lumine compleuit; sed simulatque os aperuit, angelos etiam ipsos magna refersit voluptate. Nam si de
Lu. 15. vno homine pœnitentiam agente gaudium existit in cœlis; cum Paulus à prima concione multos venatus fuerit; quomodo fieri potuit; vt superas potestates gaudio non impleret? Ecquid dico quomodo? satis erat Paulum loqui; & hoc ipso cœli exultabant, & lætabantur. Etenim si Israe-
Psal. 13. litis ex Aegypto exeuntibus, montes exultarunt, vt arietes; quando homines ex terra in cœlum transferebantur; quantum gaudii putas fuisse? Propterea igitur *permanere in carne magis necessarium propter uos*. Et quæ nobis posthac relicta est excusatio? Fit enim persæpè; vt quispiam paruam, ac pauperem ciuitatem nactus, abire tamen aliò nolit, cætera omnia præ sua quiete postputans. Paulo abeundum ad Christum erat; & non voluit Christum, (Christum illum, quem ita desiderabat, vt pro ipso Geennam etiam eligeret);sed adhuc voluit manere, ac laborare in pugna pro hominibus. Ecquæ nobis erit excusatio? Verùm est ne vniuersè tantum mentio facienda Pauli? Attende quid egerit. Dixit melius esse abire; ne illi de ipsius morte dolerent: ostendit etiam, si maneat, idcirco manere; vt illis prosit: non enim id ex mala insidiantium mente succedere. Igitur vt illi facilius ad hoc credendum adducantur; causam apposuit. Nam si id necessarium est; omnino adhuc manebo; nec tantum manebo, sed etiam vobiscum manebo. Hoc enim sibi volunt verba illa *& commanebo*; idest videbo vos. Quam ob causam? *ad profectum uestrum, & gaudium fidei*. Hoc loco ipsos excitat; vt sibi attendant. Nam si propter vos, inquit manebo; videte ne mansio-

mansionem meam dedecoretis. Cum iam Christus mihi videndus esset; elegi propter vestrum profectum manere. Mea enim præsentia, & ad fidem vobis facit, & ad gaudium: propterea elegi manere. Quid igitur? Philippensium ne tantum gratiâ mansit? non sane illorum tantum gratiâ mansit; Sed his verbis quandam illis adhibet lenem medicinam. Quomodo autem erant illi profecturi in fide? vt magis magisque vos confirmem; perinde ac pullos quosdam matris cura egentes; donec ipsis solidiores succrescant alæ. Magnum hoc charitatis indicium. Ad hunc modum à nobis etiam quidam excitari solent; atque ita dicimus; tua causa mansi; vt te bonum redderem. *Vt gratulatio uestra, inquit, abundet in Christo Iesu in me per meum aduentum iterum ad uos.* Vides ista voce, *commanebo*, hoc, quod dicebam, significatum esse? Atqui considera humilitatem. Quoniam dixit *ad profectum uestrum*; ostendit id sibi quoque vtilitatem afferre; quod etiam facit ad Romanos scribens his verbis [idest simul consolari in vobis] antea enim dixerat [vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis.] Quid autem hoc est *ut gloriatio uestra abundet*? id est, vt crescat id, quod erat causa gloriandi; hoc autem est corroborari in fide; hæc enim est gloriatio in Christo, rectè viuere. Ergo *gloriatio uestra in me per meum aduentum iterum ad uos*? maxime, inquit; quæ enim est spes nostra, aut quæ corona gloriationis? Nonne & vos? Vos enim estis gloriatio nostra, quemadmodum & nos vestra; id est, vt habeam; quò in vobis maiorem in modum glorier. Quomodo? *Vt gloriatio inquit, uestra abundet*: maiorem enim habeo gloriationis materiem; cum vos proficitis: *per meum aduentum iterum ad uos.* Quid igitur? num ad ipsos rediit? hoc vobis inquirendum relinquo, vtrum redierit. *Tantum dignè, inquit, Euangelio Christi conuersamini.* Vides omnia quæcumque dixit, huc spectasse; vt ipsos exhortetur ad maiores in virtute progressus faciendos? *Tantum dignè Euangelio Christi conuersamini:* quod inquit, *Tantum*, idem valet, ac si diceret; Hoc solum est, quod requiritur; præterea nihil. Si hoc adsit; nihil vobis molesti obtinget. *Vt siue cum uenero, &*

Ro. 1.

uidero uos , sine absens audiam de rebus uestris. Non hęc dicit; quasi mutarit sententiam, neque ad ipsos redire amplius velit; sed etiam si hoc accidat, inquit, absens quoque lętari possum. *Si audiero, quia statis in uno spiritu, & una anima;* Hoc est, quod maximè fideles coniungit, & charitatem ipsam continet. Hinc illa Domini verba [ut sint unum.]
Io. 17. Nam [& si regnum, inquit, in se diuidatur; non poterit sta-
Mar. 3. re] Propterea & Paulus multus vbique est in concordia
Io. 13. suadenda; & Christus inquit [in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.] Ne igitur, inquit Paulus, mei aduentus expectatione pendentes interea obdormite; vt cum quod expectabatis, successerit, meque videritis, deinceps diligentiam remittatis, ac dissoluamini. Nam etiam ex auditu eandem capere uoluptatem possum. Quid istuc est, *In uno spiritu?* id est eadem illa gratia concordiæ, alacritatis. Vnus enim est spiritus. Atque id ex eo ostenditur; quòd sępe hoc modo dictum est; ita enim est & in vna stare anima, cum omnes vnum spiritum habemus. Vides voce illa μιᾷ ψυχῇ. i. vnanimes concordiam esse significatam? Vides multas animas
Act. 4. vnam dici? Ita se habebat antiquitus [Omnium, inquit, erat cor, & anima vna] *collaborantes fidei Euangelij*. Ergo tanquam fide laborante in certamine, mutuo, inquit, collaborantes. Non enim inter se pugnabant; sed quod vult Paulus, hoc est; mutuum, inquit, vobis auxilium afferte; dum fides Euangelii in certamine versatur: *& in nullo territi ab aduersarijs, quod quidem ipsis est argumentum perditionis, uobis autem salutis*. optimè dixit territi: Talia enim sunt, quæ ab aduersariis proficiscuntur: Terrent tantummodo. Inquit igitur, *in nullo*. Quicquid euenerit, etiam si pericula proposita sint, etiam si insidiæ; hoc enim est rectè stantium. Illi enim terrere duntaxat possunt; pręterea nihil. Verisimile enim erat illos valde perturbari; cum animaduerterent Paulum innumerabiles subire calamitates. Ergo non illud tantum, inquit, à vobis postulo; vt ne fluctuetis; sed etiam vt ne terreamini; quod quidem valde contemnentium est. Nam si hoc modo animati sitis; hinc iam & ipso-
rum

rum perditionem, & vestram salutem perspicuam facietis. Etenim cum viderint sexcenta se artificia comminisci, ac ne terrere quidem vos posse; certa sui ipsorum interitus argumenta capient. Quotiescunque enim vexatores iis, quos vexant, superiores non euadunt, non insidiatores iis, quibus insidiantur, non potentes iis, quos in potestate habent; nonne ex hoc ipso perspicuè intelligent, se ad interitum ruere; nihil posse; sua esse inania, & infirma? *Et hoc à Deo, inquit, quia uobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis; sed etiam ut pro illo patiamini.* Rursus illos componit; vt de se modestè sentiant, totum Deo ascribens, & gratiam, & charisma, & donum esse dicens pati pro Christo. Itaque ne uos pudeat. Charisma enim & donum verè est longe admirabilius, quàm cadauer ad vitam reuocare, ac cætera miracula facere. Nam ibi quidem ego sum debitor; hìc vero debitorem habeo Christum: quare tantum abest, vt probri loco id habendum sit; vt potius sit exultandum, ac gaudendum; quippe qui charisma habemus. Virtutes vocat Charismata, & dona, non tamen eodem modo, atque alia. Illa enim tota Dei sunt; hęc verò etiam nostra. Verumtamen quoniam & hìc maior, ac potior pars Dei est; propterea totum ipsius esse inquit, non voluntatis libertatem euertens, sed ipsos apparans, vt moderati, & grati sint. *idem certamen habentes, quale uidistis in me*: id est exemplum etiam habetis. Rursus hoc loco ipsos extollit. Vbique enim eos ostendit in iisdem ac se, certaminibus versari, eosdem impetus ferre, priuatim etiam, atque apud se ipsos; eò quòd easdem, atque ipse, tolerent tentationes. Non dixit, audistis, sed *uidistis*. Nam & illic, id est in Philippensium vrbe certauerat. Hoc igitur magnę virtutis est. Quamobrem & ad Galatas scribens dicebat. [Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.] & Hebræis rursus scribens dicebat [rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen substinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conuersantium effecti] Et rursus Macedonibus, id est Thessalonicensibus scribens

Cur totum Deo accæptum referatur.

Gal. 3.
Heb. 10.

1. Theß. c. 1. & 2. ſcribens dicebat [Ipſi enim de nobis adnunciant, qualem introitum habuerimus ad vos.] & rurſus [nam & ipſi ſcitis fratres introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit] omninoque de omnibus id ipſum ſimiliter teſtatur, certamina & pugnas. At minime hoc nunc apud nos inuenietur. Nunc enim ſatis bene agitur; ſi quis vel in pecuniis quippiã detrimenti ferat: Ac ſanè in pecuniis quoque pręclarũ de illis Heb. 10. teſtimoniũ dat Paulus. Nam de aliis quidẽ ita dicit [rapinã bonorũ veſtrorũ cum gaudio ſuſcepiſtis] de aliis verò. [Ro. 15. probauerunt Macedonia, & Achaia collationẽ aliquã facere in 2. Cor. 9. pauperes] & iterũ, [veſtra ęmulatio prouocauit plurimos.]

MORALIS DIGRESSIO.

De miſericordia.



VIDES illius temporis virorum encomia: nos verò ne ad alapas quidem, & plagas vſque patientiam adhibemus; non contumeliam, non pecuniarum iacturam ferimus. Illi iam omnes æmulatores erant, & martyres in certamen deſcendentes: nos vero charitatem in Chriſtum refrigerauimus. Rurſus cogor præſentem rerum ſtatum accuſare. Et qualem putatis eſſe animi mei ſenſum? nollem quidem, ſed planè cogor. Nam ſi fieri poſſet, vt tacendo, nec quicquam ex iis quæ geſta fuiſſent, commemorando, ſilentio ipſo, ea quæ geruntur, è medio tollerentur; tacendũ certę erat. Sin autem contra fit; & nobis tacentibus non modo non tolluntur, ſed grauiora etiam fiunt; dicendum neceſſariò eſt. Nam qui peccata accuſat; vt nihil aliud præſtet; certè longius illa progredi non ſinit. Nulla enim eſt tam impudens anima, ac temeraria; quæ ſi aſſiduè ſe repręhendi audiat; non ſuffundatur pudore; non remittat aliquid de ſumma illa improbitate. Ineſt enim, ineſt etiam in impudentibus paululũ quid verecundię. Naturę enim noſtrę Deus ipſe pudorem inſeuit. Etenim quando non ſatis poterat timor ad nos componendos; multas alias non peccandi rationes apparauit; quemadmodum repręhenſiones hominum, metum humanarum legum, amorem gloriæ, amicitiarum

rum studium. Omnia enim hæc eò nos adducũt; vt peccandum non putemus. Sępe enim quę propter Deum minimè fiebant; propter pudorem sunt facta; & quę Dei causa, vt velimus, non adducimur; ea timore hominum suscipimus. Quod enim petitur, hoc est; primum, vt discamus non peccare: deinde vero illud etiam, vt Dei causà hoc agamus, consequemur: alioqui quid causę fuisset, cur Paulus eos, quibus superandi aduersarii per patientiã erant, non à timore Dei cohortatur, sed inde, quòd supplicium de illis sumpturi essent [hoc enim faciens, inquit, carbones ignis congeres super caput eius]. Interea enim hanc progressionem fieri vult ad virtutem. Inest igitur, quod antea dicebam, in nobis nescio quid verecundi; multaque naturalia habemus bona ad virtutẽ; velut ad misericordiam omnes à natura ipsa mouemur; nec quicquam aliud in natura nostra æquè bonum est, atque hoc. Quamobrẽ merito etiam quispiam quęsierit; quam ob causam id potissimum nostræ naturæ sit insitum, vt frangamur lachrymis, flectamur, omninoque ad misericordiam propensi, ac parati simus. Nemo naturà strenuus est: nemo naturà ab inanis gloriæ cupiditate liber; nemo naturà superior ęmulatione. Sed misereri omnibus à natura inditum est; quantumuis crudelis sit quis & sæuus. Et quid mirũ, si erga homines hanc animi inductionẽ ostendamus? ferarum etiam miseremur: adeo nobis redundanter indita est misericordia; vel leonis catulũ aspicientes, nonnihil cõmouemur. Quanto igitur magis erga id, quod eiusdem nobiscũ generis est? Hem quot cęci, & corporibus mutilatis; sæpè dicimus; non ignorantes id satis aptũ esse; quod nos ad misericordiam adducat. Nihil ęque Deũ delectat, ac misericordia. Quamobrẽ sacerdotes, Reges, Prophetę oleo vngebantur. Oleum enim pro symbolo Dei misericordię habebant. Pręterea discebant in Principe plus misericordię requiri; itemq; ostendebatur, spiritũ propter misericordiã venturũ esse in hominem. Deus.n. hominũ miseretur; humaneq; & benignè cũ ipsis agit. propterea oleo inungebantur. Nã & sacerdotiũ ipsum ex misericordia instituit. Verũ Reges etiã oleo inungebãtur [Misereris enim omnium,

Etiam timor hominum utilis est.

Ro. 12.

Nihil in natura nostra æquè bonum, ac misericordia.

omnium, inquit, quia omnia potes] Et si quis Principem
Sap. 11. laudet; nihil, quod æquè ipsum deceat, afferet, ac mise-
ricordiam. Principatus enim proprium est misereri. Cogi-
ta ex misericordia esse conditum mundum, & imitare do-
minum. [Miseratio inquit, hominis circa proximum suum
Eccl. 18. misericordia autem Dei super omnem carnem]: siue pecca
tores, siue iustos protuleris; omnes egemus misericordia
Dei; omnes ipsa fruimur; siue ipse sit Paulus, siue Petrus,
siue Ioannes. Atque audi ipsorum verba; quid enim nostris
1. Tim. 1. opus est? Quid igitur inquit beatus hic? [Sed misericor-
diam consequutus sum, quia ignorans feci.] Quid? postea
igitur non eguit misericordiæ? Audi quid dicat. [abundan-
1. Cor. 15. tius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei
Phil. 2. mecum] ac rursus de Epaphrodito inquit. [nam & infirma-
tus est vsque ad mortem, sed Deus misertus est eius, non
solum autem eius, verumetiam & mei; ne tristitiam super
2. Cor. 1. tristitiam haberem] & rursus [grauati, inquit, sumus super
virtutem, ita vt tęderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobis
metipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fiden-
tes in nobis, sed in Deo, qui de tantis mortibus eripuit
nos, & eripiet] & rursus [liberatus sum de ore leonis, & li-
2. Tim. 4. berabit me dominus] Atque ubique ipsum inueniemus id
gloriantem; quòd misericordià salutem sit consequutus.
Atqui Petrus etiam, eò quòd in ipsum misericordia fuisset
adhibita, talis erat. Audis enim Christum hoc ipsimet Pe-
Lu. 22. tro verbis illis significantem. [Ecce Satanas expetiuit vos
vt cribraret, sicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non
deficiat fides tua] Et Ioannes misericordià talis erat, atque
omnes omnino Apostoli. Audi enim quid Christus dicat
Io. 15. [non vos me elegistis; sed ego elegi vos] omnes enim ege-
mus misericordia Dei [misericordia enim Dei inquit, su-
Eccl. 18. per omnem carnem] Quòd si isti quoque egebant miseri-
cordia Dei; quid tandem de cęteris dicendum erit? Ecquid
enim aliud, dic mihi, causæ est; cur solem exoriri faciat su-
per malos, & bonos? Quid? si vnum dumtaxat annum plu-
uiam cohibuisset; non ne omnes peremisset? Quid verò si
imbres densasset? quid si pluisset ignem? quid si muscas
immi-

immisisset? sed quid hoc affero? Si tenebras induxisset, quod aliquando fecit; non ne omnes perdidisset? si terram concussisset; non ne perijssent omnes? Opportunè nunc dixero [quid est homo, quòd memor es eius?] Si vel terræ minitetur tantum; omnes vnum sepulchrum fient. [quasi stilla aquæ de situla, inquit; ita gentes coram ipso: quasi spuma reputabuntur, quasi momenta staterę] Quemadmodum nobis facile est trutinam mouere: ita ipsi omnia perdere, ac de integro facere. Qui igitur tam nos in sua potestate habet, ac videt quotidie peccantes, nec tamen punit; non ne fert ex misericordia? sed vide etiam iumenta per misericordiam esse & seruari [homines enim, inquit, & iumenta saluabis domine] respexit terram, & ipsam impleuit animalibus: quamobrem? propter te. te verò cur fecit? propter bonitatem. Nihil misericordia melius ò dilecte. Lucis causa est, & ibi, & hìc [Tunc enim, inquit Propheta, exorietur mane lumen tuum] si misericordiam erga proximum præstiteris: ac merito quidem: quemadmodum oleum hoc lucem præbet nauigantibus; ita & eleemosyna magnum illic, & admirabile largitur lumen. Talis olei magnam habebat rationem Paulus. Audio enim interdum quidem dicentem [tantum vt pauperum memores essemus.] interdum verò [si dignum fuerit, vt ego eam] omninoque ipsum vides vbique omnibus modis hanc rem solicitè curare. Et rursus [discant autem & nostri bonis operibus præesse.] & rursus. [Hæc enim sunt bona, & vtilia hominibus.] Audi verò & alium quendam ita dicentem. [eleemosyna à morte liberat] & alium [si misericordiam remoueris domine; domine quis sustinebit?] & rursus. [ne intres, inquit, in iudicium cum seruo tuo] & alius [magnum quiddam homo, & præclarum vir misericors.] hoc enim est hominem esse, vel potius hoc est Deum esse. Vides quanta diuinę misericordiæ sit potentia. Hæc omnia fecit; hęc mundum condidit; hæc angelos perfecit; sola, inquam, bonitas. Propterea etiam geennam minatus est; vt regnum assequamur: nec verò aliunde consequimur regnum; quàm ex misericordia. Cur enim cum solus esset

Psal. 8.
Esa. 40.
Psal. 35.
Alludit ad Psal. 103.
Esa. 3.
Gal. 2.
1. Cor. ultimo.
Ti. 3.
Tob. 4.
Psal. 129.
Psal. 142.
Prouerb. 2 ubi uulgata [multi homines misericordes uocantur.]

Deus,tot Deos fecit?non ne propter bonitatē?non nepropter benignitatem,atq; humanitatē?si quæsieris; cur hoc, cur illud fecerit;vbiq; inuenies bonitatem. Itaq; proximorum misereamur; vt etiam in nos misericordia adhibeatur. Non magis illis, quam nobis ipsis colligimus oleum hoc in diem illum. Vbi vehemens fuerit flamma ignis; oleum hoc ignem quidem restinguit;lucis autem nobis causa est. Ita huius opera à Geennæ igni liberabimur: cæteroquin vnde sua nobis viscera aperiet Deus?vnde miserebitur? ex charitate misericordia exoritur. Nihil adeo irritat Deum;
Matth. 18. atq; immisericordem esse. Oblatus est ei quispiam, qui mille talenta debebat;& misericordia motus debitum remisit. At cum hic idem conseruum ob debitos sibi centum denarios respirare non sineret;tunc tradidit eum dominus tortoribus;quousque redderet debitum. Hæc audiētes misericordes simus erga debitores in pecuniis,in peccatis; nemo iniuriarum sit memor; nisi in se ipsum velit esse iniurius. Non enim tantum molestię illi afferet non remittens; quātam sibi ipsi inferet iniuriam. Nam te quidem illum iudicio persequente,nō persequitur Deus:te vero dimittente,aut persequitur Deus, aut tua tibi dimittit peccata. Quomodo autē nisi tu remittas proximo, ad regnum aspiras?Quo quidem damno ne afficiamur, remittamus omnibus;nobis enim ipsis remittimus: condonemus; ut nobis condonet Deus peccata nostra;atque ita futuris potiamur bonis gratia, & benignitate domini Nostri Iesu Christi cum quo Patri &c.

SERMO V. AC TOTVS EST MORALIS.

Cap. II.



I qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua uiscera, & miserationes; implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sapientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humanitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt, singuli consi-

li considerate, sed & ea, quæ aliorum, unusquisque: Nihil melius, nihil in amore tenerius doctore spirituali: quouis naturali patre maiorem beneuolentiam pręstat. Attende obsecro quàm suppliciter petat à Philippensibus ea, quæ è re ipsorum erant. Quid enim dicit ad concordiam omnium bonorum causam cohortans? & vide quàm copiosè, quàm vehementer, quanto cum animi illorum vicem soliciti sensu. *Si qua ergo consolatio in Christo, inquit*: id est si quid habetis consolationis in Christo; perinde, ac si quispiam diceret; si quam mei rationem habes; si qua tibi mei cura; si quid bene unquam de te merui; hoc facito. Hac vero orationis figura in mouendo affectu vtimur; si quid postulandum sit; quod cæteris omnibus rebus præponamus. Nam nisi omnibus præponeremus; non eo vno impetrato omnium nobis exhaustam esse mercedem vellemus; nec per illud diceremus, quicquid nobis debebatur, esse repræsentatum. Sed nos quidem carnalia beneficia commemoramus; vt si pater erga filium diceret, si quid tibi reuerentiæ erga patrem, si qua educationis, si qua pietatis erga me, si qua honoris, quem ex me es consequutus, si qua beneuolentiæ memoria; rogo te, ne sis inimicus fratri; hoc dictu est; pro omnibus illis hanc exigo mercedem. Sed non ita Paulus: nihil enim, quod ad carnem pertineat, redigit ad memoriam; sed omnia spiritualia. Quod igitur, inquit, tale est: si quid mihi solatii vultis in tentationibus afferre, meque recreare in Christo; si quam consolationem charitatis, si quicquam eius communionis, quæ in spiritu est, vultis ostendere; si qua habetis viscera, & misericordiæ sensum; implete meum gaudium, *si qua uiscera, & miserationes*. Miserationem sibi exhibitam vocat Paulus discipulorum concordiam, ostendens summum imminere periculum; nisi concordes fuerint. Si quid mihi, inquit, solatii à vobis expectandum est; si quid consolationis ex vestra charitate reportare licet; si pote est vobiscum communicare in spiritu; si communicare vobiscum in Christo; si qua mihi à vobis misericor-

dia, & commiseratio præstanda est; omnium harum rerum mercedem in charitate ipsa tuenda repræsentate. Satis mihi a vobis factum esse, omniaque consequutum putabo; si inter vos amaueritis. *implete gaudium meum*. Ne, quæ dicit, admonitionis vim habere viderentur, quasi illi iam ab officio decessissent; vide ipsum non ita dicere, facite mihi, sed *implete*; idest cępistis iam in me serere; iam mihi dedistis, vt satis quietus sim; sed ad finem peruenire desidero. Quid desideras, dic mihi? vt te à periculis liberemus? vt tibi qnippiam suppeditemus? nihil huiusmodi, inquit; sed vt vos *idem sapiatis eamdem habentes charitatem*, in qua cœpistis; *Vnanimes unum sapientes*. Hem quoties idem repetit ex magno quodam affectu. *Vt idem sapiatis inquit*; imo verò vt vnum sapiatis. Hoc enim progrediens ostendit verbis illis. *Vnum sapientes*, quod maius quiddam est, quàm idem sapere: *eandem charitatem habentes*, id est non tantum in nuda fide, sed in cæteris etiam omnibus rebus. Pote enim est & idem sapere, & charitatem non habere: *eandem charitatem habentes* id est æquè & amare & amari. Noli, cum magna aliorum in te charitate fruaris, minorem ipsis pręstare; quasi hac etiam in re plus ęquo tibi appetas; ac si nonnulli sunt, qui faciant; tu id in te cadere nullo pacto feras: *unanimes inquit*, id est vni animæ omnium corpora quasi propria accommodantes, non quidem substantia ipsa, nam id fieri non potest, sed electione, & sententia; vt quasi ex vna anima omnia, inquit, proficiscantur. Quid est *unanimes*? hoc declarauit addens, *unum sapientes*: vnicum enim vult esse omnium sensum; perindè ac si ex vna anima penderent: *nihil per contentionem*: non grauatur pręterea modum exponere; quo id fiat: *nihil per contentionem uel inanem gloriam inquit*; quod quidem ipsum semper dico malorum omnium esse causam; hinc pugnę & lites; hinc inuidia, & vincendi studium, hinc charitatis refrigeratio. Cum hominum gloriam amamus, cum honori, qui à multis exhibetur, seruimus; tunc omnia hęc accidunt: minimè enim fas est gloriæ seruientem Dei etiam germanum esse seruum. Qua igitur ratione hoc inanis gloriæ studium fugerimus? nondum enim illam exposuisti,

posuisti. Audi sequentia: *sed in humilitate, inquit, superiores sibi inuicem arbitrantes*. Hem quomodo plenum philosophiæ dogma, & ad nostram salutem mirabiliter conducens exposuit: si existimaris, inquit, illum te maiorem esse; idque tibi ipsi persuaseris; aut potius si non solum dixeris; sed etiam persuasionis istius plenus, honore quoque illum fueris prosequutus. Quòd si tu ipse honorem tribuas; minimè succensebis; si ipsi ab alio tributum videas. Igitur non tantum existima illum te maiorem esse; sed etiam *superiorem* (voce enim ista ὑπερέχειν Paulus magnam quandam præstantiam voluit indicare) & non admiraberis, neque dolebis: si illum in honore esse videas; & si contumeliam intulerit; generosè feres: ipsum enim maiorem te existimasti; & si conuiciis apperierit; non excandesces; & si malefecerit, tacitus feres; quando enim semel hoc sibi anima penitus persuaserit, illum esse maiorem; non impellitur ad iram; si ab ipso malè accipiatur; non ad inuidiam; iis enim qui valde prę̨stant, nemo inuiderit. Hęc enim omnia præstantiæ illius esse putat consequentia. His igitur verbis te docet talem animum suscipere: quòd si vicissim ille tanto abs te honore affectus, inquit, eundem erga te animum susceperit; facilè iam est intelligere duplici quasi muro fultam esse æquanimitatem & lenitatem. Quandiu enim vterque vtrumque honore dignos putatis; nihil vnquam accidere molesti potest. Nam si hoc vel ab altero dumtaxat prę̨stitum satis est ad omnem contentionem tollendam; quandocunque ab vtrisque præstetur; quis hanc munitionem perrumpet? ne ipse quidem diabolus. triplici enim & quadruplici muro, atque eo amplius fulta est arx. Omnium enim honorum causa est humilitas. Quod vt ita esse discas; audi Prophetam dicentem [Quoniam si sacrificium voluisses, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies] non absolute quamuis humilitatem, sed intentionem quamdam humilitatis ob oculos posuit. Nam quemadmodum in corporibus quod contritum est, numquam solido corpori reluctabitur

Omnium bonorum causa est humilitas.
Psal. 50.

ſtabitur;ſed quot quot grauia patiatur;prius ipſum interibit, quàm in alterum irruat; ita & in anima: eliget enim potius perpetuo male accepta mortem etiam obire; quàm irrumpere, & vlciſci. Quouſque ſpirabimus ſpiritus iſtos ridiculos? nam quemadmodum pueros ſi videamus ſe ſe efferre, & ſuperbire; ridemus; quòd ſi etiam lapides capere, & proiicere; rurſus ridemus; ita humana arrogantia puerilis mentis, infirmi animi proles eſt [Quid ſuperbit terra, & cinis?] magnos ſpiritus ſumis homo? quapropter? quæ vtilitas, dic mihi? vnde vero magnos ſpiritus ſumis in eos etiam, qui eiuſdem ſunt ordinis? non eiuſdem particeps eſt naturæ? non eiuſdem animæ? non eundem à Deo honorem accepiſti? at ſapiens es? Ergo gratias agere, non intumeſcere debebas. Prima ingratitudo ſuperbia eſt; aufert enim beneficentiæ donum: qui enim ſe ſe effert; is, quaſi ipſe id quod recte factum eſt, confecerit, ſe effert. Qui autem omnia à ſe profecta putat; ingratus eſt aduerſus eum, qui honorem dedit. quippiam boni habes? gratias age ei, qui dedit. Audi quid dicat Ioſeph, quid Daniel. Nam cum Aegypti Rex illum è carcere accerſiſſet, & in conſpectu totius exercitus de eo negotio interrogaſſet, in quo defecerant Aegyptii, qui in huiuſmodi rebus maxime pollebant; cum ipſe iam ſe ſe illis omnibus ſuperiorem oſtenſurus eſſet, longeque ſapientior eſſet habendus aſtrologis, vatibus, præſtigiatoribus, magis, philoſophis eius temporis omnibus, puer ipſe ex captiuitate, & ſeruitute (tunc enim maior exiſtit gloria; neque enim idem eſt hominem iam clarum lucere, atque prȩter expectationem; quare quòd præter ſpem id euenerit, admirabiliorem ipſum fecit) quid igitur iſte? accedens ne ad Pharaonem ita dixit, profecto noui? nihil minus; ſed quid? nemine ipſum arguente, pro ſua magna humilitate, & grati animi virtute, quid ait? [numquid non per Deum interpretatio horum eſt?] continuò gloriam Deo tribuit; propterea ipſe quoque gloriam accepit. Nam & hoc ad gloriæ rationem non leue momen-

Eccl. 10.

Prima ingratitudo ſuperbia eſt

Gen. 40.

quamuis ad Chryſ. ſen-

momentum habet; multò enim maius est ipsi à Deo esse reuelatum; quàm ipsum per se hoc confecisse; pręterquam quòd hinc etiam verbis suis fidem conciliabat; idque firmissimum est familiaritatis cum Deo argumentum. Nihil enim æquè bonum est, ac familiarem fieri Deo. [si enim ex operibus iustificatus est; habet gloriam, inquit, sed non apud Deum] Nam, & qui criminibus obnoxius gratiam est consequutus; gloriatur in Deo; nimirùm, quòd ab illo amatur, sibique peccata remissa sunt; & ille qui operatur; habet gloriam, sed non apud Deum, vt ille. Nam hoc quidem magnæ infirmitatis nostræ est argumentum; at qui sapientiam à Deo accępit; quanto erit admirabilior? gloriam Deo tribuit, & vicissim ab illo gloriam accepit. [glorificantes enim me, inquit, glorifico] Rursus pronepos huius, quo quidem nemo fuit sapientior [scriptum est enim (nunquid tu sapientior es Daniele?)] Hic igitur Daniel, cum omnes, qui erant in Babilone sapientes, atque ipsi rursus astrologi, vates, magi, pręstigiatores, atque vniuersa philosophia, non modo conuicta iam esset, sed etiam è medio sublata (capitalis enim à Rege in sapientes lata sententia satis indicabat antea quoque se ab illis deceptum fuisse) accedens ergo ad Regem, ipsius petitioni iam satisfacturus, neque ipse se magnificè circumspicit; sed primum omnia Deo refert accepta, & inquit [Mihi verò non in sapientia quę sit in me, plusquàm in cunctis hominibus, reuelatum est ò Rex:] tunc vero adorauit ipsum Rex, ac dixit, adoleantur thura. Vides humilitatem? vides gratum animum? vides mores à superbia remotos? Audi verò & Apostolorum uerba, interdum quidē dicentiū [quid nos intuemini, quasi nostra uirtute, aut pietate fecerimus hūc ambulare?] interdū verò [& nos mortales sumus, similes vobis homines.] Quòd si illi delatos sibi honores adeò repudiabāt, homines, qui per eā humilitatem, quæ secundum Christum est, ipsiusq; potentiā maiora, quàm Christus ipse, opera ediderant (Nam [qui credit in me, inquit, maiora horum faciet, quæ ego facio])

tentiam magis uideantur facere uerba c. 41

Rom. 4.

1. Reg. 2.

Eze. 28.

Dan. 2.

Act. 3.

Act. 14.

Ioan. 14.

facio]) quomodo nos non miseri, atque infelices sumus; qui ne culices quidem expellere possumus, ne dum dęmonas; qui ne vni quidem homini prodesse valemus, ne dum vniuerso orbi; ac tamen tantos nobis spiritus sumimus; quantos ne ipse quidem Diabolus? Nihil æquè alienum ab anima Christiana est, ac superbia, superbiam dico, non fidentiam, non virilis animi fortitudinem. Nam ista quidem conuenientia sunt; longè enim ab illa differunt. Quāobrem aliud quidem est humilitas, aliud verò illiberalitas, & assentatio, & molles blanditię. Ac si vultis; horum omnium ego vobis exempla afferam. Videntur enim, quę contraria sunt inter se, prope quodammodo esse posita, vt frumento Zizania, & rosis spinę: sed pueri quidem facile fallantur: qui autem verè sunt viri, spiritualis agriculturæ periti; norunt vera bona à malis distinguere. Age igitur exempla vobis ex ipsismet scripturis proponamus. Quid tandem est assentatio, & illiberalitas, & mollis blanditia? Siba intempestiuè Dauidi est assentatus, suumque Dominum criminatus est: multò autem magis Architophel Absaloni. At non talis Dauid, sed humilis. Qui enim subdoli sunt; assentatores sunt: quemadmodum cum Magi dicunt [viue Rex in secula]. Rursus Magi, quàm sunt assentatores. † Ac de Paulo multà huiusmodi inueniemus in actis, cum Iudęis ita differente, vt non assentetur, sed humiliter agat. Nouit enim & liberè, ac fidenter agere, vt cum inquit [Viri fratres nihil aduersus plebem faciens, aut mores paternos, vinctus ab Ierosolymis traditus sum]. Vt enim intelligas humilitatis fuisse hęc verba; audi, quàm ipsos obiurget in sequentibus, ita dicens [benè spiritus Sanctus loquutus est; aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis; & non perspicietis]. Vides fortitudinem Sed Ioannis etiam Baptistę fortitudinem considera, qua erga Herodem vsus est dicens. [Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui] Hoc fidentiæ est, hoc fortitudinis: at non verba illa semei [Egredere vir sanguinum]: quamquam & ille fidenter agebat. At non hoc fortitudo est, sed audacia, & contumelia, & lingue intemperantia. Iezabel etiam

Quomodo humilitas distinguatur ab assentatione.

2. Re. 16.

Dan. 2.

† Videtur deesse exēplum, & fortasse ex eodem lib. cap. 3.

Act. 28.

Ibidem.

Mar. 6.

2. Re. 16.

etiam conuicium fecit Iehu dicens [qui interfecit dominum suum] sed hoc audacia erat ; non fidentia. Conuicium & Helias fecit;sed fidentia, ac fortitudo erat [non ego turbo populum,sed tu,& domus patris tui]: rursus erga uniuersum populũ fidenter agebat Helias dicens; [vsquequo claudicatis vtrisque vestris poplitibus ?] Hoc igitur modo tangere fidentia erat, & fortitudo ; idque prophetæ faciebant; Illo autem audacia. Vis præterea humilitatis, ac libertatis audire verba? audi Paulum dicentem [Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer,aut ab humano die; sed neque me ipsum iudico : nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.] Huiusmodi spiritus Christianum decent : ac rursus. [audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos ?] Vis amentium Iudæorum assentationem cognoscere? Audi ipsos dicentes [Nos non habemus regem,nisi Cęsarem] vis cognoscere humilitatem? audi rursus Paulum dicentem [non enim nosmetipsos prædicamus; sed Iesum Christum dominum, nos autem seruos vestros per Iesum] Vis & assentationem, & audaciam videre?considera audaciam quidem Nabal,assentationem verò Ziphęorum; quomodo ille quidem maledicta iaciebat; isti verò, quantum ad ipsorum volũtatem, & consilium pertinet, Dauidem prodiderunt. Vis non assentationem,sed Philosophiam cognoscere?considera Dauidem intercæpto Sauli parcentem. Vis assentationem cognoscere? considera eos, qui Memphibosthe interfecerunt; quos ideo etiam Dauid è medio sustulit : omnino autem, vt summatim describamus, audacia quidem est; si quis irascatur,& conuicium faciat nullam ob iustam, grauemque causam, sed aut seipsum vlciscens, aut alio quouis modo iniustè efferuescens; fidentia autem, & fortitudo ; cum quis aduersus pericula, & mortem audet, amicitias, & inimicitias despicit pro iis rebus, quę Deo probantur. Rursus assentatio quidem, & illiberalitas est, cuiuis inseruire non ob eas res, quæ opus sunt, sed aliquid, quod ad hanc vitam faciat, captantem ; humilitas

4. Re. 9.

3. Re. 18.

Ibidem.

1. Cor. 4.

1. Cor. 6.

Io. 19.

2. Cor. 4.

1. Re. 25. & 23.

2. Re. 4. ubi uulgata habet Miphibosebt. sed puto legendum potius Iebosthe ; qui quidem in uulgata est, Isboseth.

Quomodo distinguatur audacia à fortitudine. vero; si quis ob causas, quæ Deo probantur, id faciat; ideoque à gradu dignitatis suæ descendat; vt magnū quippiam, atque admirabile opus perficiat. Si hęc sciamus, ac prætera factis exprimamus; beati erimus. Non enim satis est scire [non enim auditores legis, inquit, sed factores legis iustificabuntur.] *Ro. 2.* Quinetiam cognitio ipsa condemnat; si factis, virtutisque officiis caruerit. *Cognitio condemnat si benefactis careant.* Itaque vt condemnationem vitemus; actiones ipsas obeamus; ut promissa consequamur bona in Christo Iesu domiuo nostro; quoniam ipsi gloria in secula. Amen.

SERMO SEXTVS.



HOC *enim sentiatur in uobis; quod & in Christo Iesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudine hominum factus, & habitu inuentus, ut homo. Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis:* Dominus noster Iesus Christus discipulos suos ad magna cohortans, seipsum, & patrem, & prophetas pro exemplo proposuit: veluti cum dicit [ita enim se gesserunt aduersus prophetas; qui fuerunt ante vos] *Matt. 5. licet paulò aliter.* & rursus [si me persequuti sunt, & vos persequentur.] *Io. 15.* & [discite à me, quia summitis] *Matt. 11.* & rursus [estote misericordes, sicut pater vester, qui in cœlis est] *Lu. 6.* Id Beatus etiam Paulus facit. [scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues] *2. Cor. 8.* nihil enim excelsum, ac philosophum animum æquè ad bona opera obeunda excitat; ac si intelligat, hac re Deo se similem fieri. Quid enim æquè, atque hoc, ad cohortationem valeat? nihil. Quod sane & Paulus sciens, istos ad humilitatem exhortans, primum quidem obsecrauit, supplicauit: deinde quasi confundens, & pudorem eliciens, dixit, [quia statis in vno spiritu] *Supra. c. 1.* dixit [quod illis est argumentum perditionis, vobis autē salutis] Nunc vero tandem & hoc affert. *Hoc enim sentiatur in uobis; quod & in Christo Iesu; qui cum in ferma Dei*

ma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: Attendite, obsecro, atq; exurgite. Etenim quemadmodum machęra quædã vtrinq; acuta, quocunq; acciderit, etiam si in sexcentas phalangas; facile ipsas perrumpit, ac delet; eò quòd vndiq; acuta est, nihilq; illius aciem ferre potest; ita planè & spiritus verba. Nam his ipsis verbis, & Arrii Alexandrini sectatores, & Pauli Samosatei, & Marcelli Galatæ, & Sabellii lybici & Marcionis Pontici, & Valentini, & Manetis, & Laodicensis Apollinarii, & Photini, & Sophronii, omnesq; omnino hæreses prostrauit. Vt ad huiusmodi spectaculum inuitati, vt vna plaga tot phalangum ruinam visuri, excitamini; ne spectaculi iucunditas vos pręteruolet. Nam si in curruum, atq; equorum certaminibus nihil ęquè spectatu iucundũ est; ac cum quis totos currus vnà cum aurigis impulsu ipso prostrauerit, multisq; quadrigis resupinatis vnà cum insistentibus aurigis, solus ad metam, calcemq; agonis contenderit; magnusq; vndiq; plausus, & clamor ascenderit; ille vero ex letitia illa, & plausibus quasi volucris factus totũ stadium equis confecerit; quanto maior hinc existet voluptas; cum omnium hæresum cuneos, & diabolica machinamenta unà cum aurigis ipsis, Dei gratia, omnia simul, confertim prostrauerimus? Ac si libet; primum hęreses ipsas ex ordine collocemus. Vultis igitur impietatis, an temporum ordinẽ? sed temporum sanè sequamur: etenim quæ nã impietate prior, vel posterior sit; difficile est iudicatu. Primus igitur prodeat sabellius lybicus. Quid iste inquit? patrẽ, filium, & spiritũ sanctũ nuda esse nomina vni personę imposita. Marcion autẽ Ponticus negat Deum, qui omnia condidit, esse bonum, ac patrẽ Christi boni; sed alium quendã essę fingit, qui iustus sit; filiũq; pro nobis sumpsisse carnẽ negat. Marcellus, & Photinus, & Sophronius verbũ ipsum inquiũt energiã, & efficaciã operationis esse; atq; hanc energiã inhabitare in illo, qui ex seminibus Dauid, minimè verò substantiã hypostaticã. Arius filium quidẽ fatetur; sed tãtũ nomine. Creaturã.n. esse inquit, & patre lõge minorẽ. Cęteri verò negãt habere animã. Vides stantes currus? con-

 sidera

ſidera igitur & illorum ruinas; quomodo omnes ſimul propellens ſternit, omnes inquam, vna plaga, atque impetu. Quomodo igitur ſternit? *Hoc enim ſentiatur in uobis, inquit, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*. Hinc & Paulus Samoſateus corruit, & Marcellus, & Sabellius. Inquit enim, *qui cum in forma Dei eſſet*: ſi in forma, quomodo ais tu ò ſceleſte à Maria initium habuiſſe; atque antea non fuiſſe? quomodo verò tu rurſus dicis energiam fuiſſe? Inquit enim *in forma Dei, & formam ſerui accæpit*: forma ſerui, dic mihi, eſt ne energia ſerui, an natura ſerui? omnino natura ſerui, reſpondebis. Ergo & forma Dei, natura Dei eſt; non igitur energia. En & Marcellus Galata, & Sophronius, & Photinus corruerunt. Sed nihilominus etiam Sabellius. *Non rapinam, inquit, arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*. Aequale verò non in vna dicitur perſona. Aequale enim alicui eſt æquale. Vides duarum perſonarum hypoſtaſim; non autem nuda nomina, quibus nullę res ſubiectę ſint? Audiſti exiſtentiam vnigeniti ante ſecula. Verum hæc quidem aduerſus illos. Sed quid iam aduerſus Arium dicemus; qui alterius eſſentiæ filium facit? Dic mihi, quid hoc eſt, formam ſerui accępit? homo factus eſt, inquit. Ergo & in forma Dei exiſtens Deus erat: nam & hìc, & illic nomen formæ ponitur. Si hoc verum; certe & illud: forma ſerui, eſt natura homo: Ergo forma etiam Dei, natura eſt Deus. Neque hoc ſolum; ſed etiam perinde ac Ioannes, de ipſius ęqualitate teſtimonium dat; oſtenditque nihilo ipſum patre minorem eſſe. *non rapinam, inquit, arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: ſed argutam illorum orationem audiamus. Atenim contrarium potius iſtis verbis oſtenditur, inquiunt. Dixit enim, cum in forma Dei eſſet, non hoc rapuiſſe, vt eſſet æqualis Deo? Atqui ſi Deus erat; quomodo poterat rapere? & quomodo hoc non inconſideratè dictum fuerit? Quis enim vnquam dixerit, illum cum homo eſſet, non hoc rapuiſſe, vt eſſet homo? Quì enim fieri poteſt, ut quiſquam rapiat id, quod eſt? Hoc igitur, inquiunt, ſibi volebat Apoſtolus; filium,

cum Deus minor esset, non hoc rapuisse, vt æqualis esset Deo magno, & maiori. Ergo paruus & magnus Deus est? & Græca in Ecclesię dogmata inducitis? Nam apud Gręcos quidem est magnus Deus, & paruus: quòd si etiam apud vos; non audio. Nam in scripturis quidem nullibi inuenies; sed magnum quidem vbique; paruum verò nullibi. Etenim si paruus; quomodo etiam Deus? si non est paruus homo, & magnus nisi in eadem natura; & si quicquid in vna illa natura non conuenit, homo non est; quomodo fuerit paruus & magnus Deus; vbi eadem illa natura non est? Qui paruus est; Deus non est. Vbique enim in scriptura magnus dicitur [Magnus Dominus, & laudabilis nimis] Ecce etiam de filio. Vbique enim eum vocat dominum. [Magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.] & rursus. [Magnus dominus noster, & magna virtus eius, & magnificentię eius non est terminus.] Sed hæc de Patre, inquiunt; filius verò paruus est. Cæterum tu es, qui hoc dicis. Scriptura verò contra quod de patre, id etiam de filio dicit. Audi enim Paulum dicentem [expectantes beatam spem, & perspicuum aduentum magni Dei.] Nunquid autem de patre perspicuum aduentum dixit? Verùm vt magis adhuc vos argueret; non illi satis fuit dicere, perspicuũ aduentũ, sed addidit magni Dei. Num igitur de patre id dictum est? neutiquam. Non enim id admittit additio illa [& perspicuum aduentum magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi] En igitur & filius magnus est. Quomodo igitur dicis paruum, & magnum? Audi etiam prophetam; qui ipsum vocat magni consilii angelum. Qui est magni consilii Angelus, an non magnus est? qui est Deus fortis; an non est magnus, sed paruus? Quid igitur impudentes isti, & nefarii verba ista usurpant [cum esset paruus Deus?] sæpe illorum verba affero, ut magis ab illis refugiatis. Cum paruus, inquiunt, esset Deus; non hoc rapuit, vt eundem gradum cum magno obtineret. quid enim, dic mihi (verùm ne putetis hæc nostra esse uerba) si de illorum sentẽtia paruus erat, & paterna potentia longe inferior; quì hoc vnquam

Psal. 144.

Psal. 146.

Ad Ti. 2.

Esa. 9.

quam rapere potuisset, ut Deo æqualis esset? Natura enim minor nequaquam hoc rapere queat, ut euadat in magnã; quemadmodum homo nunquam hoc rapere queat, ut angelo æqualis sit secundum naturam; neque equus hoc rapere queat, etiam si velit; vt homini æqualis sit secundum naturam. Sed hoc omisso, illud etiam dicam. Quid hoc exemplo struit, ac molitur Paulus? omnino, respondebis, Philippenses ad humilitatem adducere. Cur igitur, dic mihi, hoc in medium protulit? Nemo enim, qui ad humilitatẽ cohortari velit; ita loquitur: Esto humilis, ac minus magnificè de te sentias; quàm de æqualibus tuis: Nam & Sosia cum seruus esset, non incubuit, neque seditionem mouit aduersus dominum; illum igitur imitare. At quis non videt minime isthuc humilitatis esse? neque enim aliter facere potuit, nisi demens, ac vecors fuisset. Discite quid sit animi humilitas vos, qui tumorem habetis diabolicum. Quid igitur animi humilitas est? humilia sentire: humilia autem sentit; non qui ex necessitate est humilis; sed qui se ipsum humiliat. Planius id exponam, vos autem attendite. Qui cum magnos spiritus sumere, ac sublimia sentire posset, humiliter tamen sentit; hic animo humilis est. Quicumq; verò idcirco humiliter sentit; quoniã magnificè nõ potest; is profecto humilis animo non est. Imperator, exempli causa, si legato se subiiciat; humilis animo est; quoniam de sublimi illo gradu descendit: quòd si idem legatus faciat; non ideo humilis animi officio fungetur. Quomodo enim fungatur; cum non seipse de sublimiori gradu demiserit? Omnino humili isti sensui locus non est; vbi potestas nõ adest. Nam si quis etiam inuitus necessariò humiliatur; iam hoc rectum factum non interni ipsius sensus, ac voluntatis est; sad necessitatis. ταπεινοφροσύνη autem inde dicitur; quòd est τοῦ φρονήματος ταπείνωσις, id est animi, atque interni sensus humiliatio, ac demissio. Dic mihi; si quis, cui potestas desit rapiendi aliena, se se intra suarum rerum possessionẽ contineat; hũc iustitiæ nomine laudabimus? minime: quid ita? quoniam necessitas, ne laudari volũtas queat, impedimento est. Dic mihi; si quis, cum tyrannide, ac regno potiri nequeat,

quid sit animi humilitas.

queat, priuatus manserit; hunc ne tanquam ocii studiosum laudabimus? minimè: Ergo neque hoc etiam loco. Laus enim, ò homines hominũ indoctissimi, non in eo versatur; quòd ab istis rebus abstineatur; sed in bonis officiis obeũdis. Nam illud quidem vituperationis expers est; sed non eò peruenit; vt laudem assequatur; hoc autem encomiis, & laudationibus dignum est. Atqui considera Christũ hoc modo laudantem, cum ita dicit. [Venite benedicti patris mei; possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi mãducare; sitiui, & dedistis mihi bibere.] Non dixit, quoniam alieni appetentes non fuistis, neque quoniam non rapuistis (leuia enim hæc.) sed quoniam esurientem me vidistis, & aluistis. Ac sanè quis vnquam hoc modo vel amicos, vel inimicos laudauit? neq; ipsum Paulum (quid dico Paulum ?) ne vulgarem quidem hominem quisquam ita laudauit; quemadmodum tu Christum laudas? quòd nimirum sibi non conuenientem principatum non vsurpauerit. Talia enim admirari nihil aliud est, quàm magnæ improbitatis testimoniũ dare. Quomodo? quoniam in improbis hominibus id laudi solet dari; quale illud est [Qui furabatur, iam non furetur] secus autem in bonis viris. Non enim qui principatum ad se minimè pertinentem nõ rapuit, is laudandus est. Atq; omnino cuius hęc dementiæ sunt? Attendite obsecro; longa enim est oratio. Alia ẽt ratione intelligetis, neminẽ ex huiusmodi loco ad animi humilitatẽ solitũ esse quempiã cohortari. Exempla enim longe maiora atq; illustriora sint oportet; quã res proposita, ad quàm cohortamur: nemo. n. sit; qui ex alienis, quæq; ad rem parũ faciunt, cohortetur. Exempli causà Christus homines cohortatus est; vt benigne facerẽt inimicis; magnũ exemplũ attulit, nimirũ patris [qui solem oriri facit super malos, & bonos, & pluit super iustos, & iniustos] cohortatus est ad lenitatem, ac malorum tolerantiam; seipsum ad exemplum proposuit, [discite à me quia mitis sum, & humilis corde] ac rursus [si ego dominus & magister hęc facio; multo magis vos? Vides quàm nõ sint inferiora ipsa exempla? non enim adeo inferiora esse oportet.

Matt. 25.
Eph. 4.
Matt. 5
Matt. 11.
Io. 13.

tet.

tet. Nam & nos ipsi id obseruamus. At in re nostra exemplum ipsum ne propè quidem accedit. quomodo? quoniã si seruus est; minor etiam est, & maiori subiectus. Hæc autem minimè est animi humilitas. Contra enim potius faciendum erat; ut maior quispiã minori obtemperans proferretur. Verùm quoniam id in Deo non inueniebat, maiorem, inquam, & minorẽ; æqualitatem igitur statuit. Quòd si minor fuisset filius; non aptum erat exemplum; vnde Paulus ad animi humilitatem cohortaretur. Quapropter? quoniam non hoc animi humilitas est, non impetum facere aduersus maiorem, non rapere principatum, obedire vsque ad mortem. Cæterùm & illud præterea considera; quid allato exemplo subiungat, *humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*: arbitrantes, inquit. Nam, quando & secundum substantiam unum estis, & secũdum honorem à Deo acceptum; reliquum est, ut ipsa tantum existimatio locũ ibi habere possit. At in maioribus & minoribus, nõ ita dixit, arbitrãtes, sed [Honorate eos, qui uobis præstãtiores sunt] quemadmodũ & alibi inquit [Obedite prępositis uestris, &
Heb. 13. subiacete eis] Illhìc enim ipsa rei natura postulat subiectionem: hìc verò ex vestro iudicio proficiscatur oportet. *humilitate, inquit, superiores sibi inuicem arbitrantes*: quemadmodum & Christus fecit. Et hęretica quidem hoc modo euersa sunt. Deinceps verò nostra afferenda sunt; si antea ad summam quandam ea, quæ aduersus illos faciunt, redegerimus. Hæc autem sunt. Cum Paulus ad animi humilitatem inuitaret; non eum, qui minor sit, ac maiori obediat, protulisset. Nam si seruis, ut dominis obedirent, suasisset; rectè id quidem. Sed si, ut liberi liberis; quid ad hanc rem facit serui erga dominum subiectio? quid minoris erga maiorem? non enim dixit, minores maioribus obediant; sed qui ęqualem dignitatem obtinetis, vicissim vobis obedite. *Superiores, inquit, sibi inuicem arbitrantes*: Ecquid verò causę fuit, quamobrem muliebrem obedientiam non adduxerit, neque ita dixerit; quemadmodum mulier viro obedit, ita & vos obedite? Quòd si illud, in quo inerat æqualitas, & libertas, non attulit; quoniam nonnulla tamen in eo inerat

subie-

ſubiectio;multò minus ſeruilem obtemperationem protuliſſet. Verum & illud initio dixi, neminem ideo ſolere laudari,ac ne commemorari quidem; quòd crimina non admittat:neque enim ſi quis aliquem temperantiæ nomine laudare velit,ita dicet, minime illum eſſe mœchatum; ſed hoc afferet,à propria etiam vxore ſe continuiſſe: omnino enim abſtinere ſe tantum à prauis actionibus nunquam in laudatione ponimus; niſi ridiculi haberi velimus. Illud addidi, veram eſſe ſerui formam, nihilque minus habere; quare & formam Dei perfectam eſſe, nihilque minus habere. Cur non dixit,in forma Dei factus,ſed, *qui cum in forma Dei eſſet*? Tantumdem ualet hic loquendi modus, atquè ille [Ego ſum, qui ſum] forma,quatenus forma eſt, eandem adeſſe naturam demonſtrat: nec fieri poteſt; ut quod alterius eſſentię eſt,eandem cum eo, à quo diuerſum eſt, formam habeat; quemadmodum nemo hominum eſt, qui angeli formam habeat; nec brutum animal hominis habet formam. Quomodo igitur filius? Deinde in nobis quidem,quoniam ex pluribus naturis compoſiti ſumus, forma ad ipſum corpus pertinet: At in eo,quod omnino ſimplex,nulloque modo coagmentatum eſt, ad ipſam ſine dubio eſſentiam. Quòd ſi ex eo, quòd ſine articulo dictum eſt ἐν μορφῇ θεοῦ contendis non indicari patrem; multis aliis ego locis oſtendam tibi ſine articulo dictum eſſe: Et quid dico multis aliis locis? In hoc ipſo ſtatim loco, *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem* θεῷ: non enim dixit τῷ θεῷ; cum tamẽ de patre loqueretur. Vellem noſtra etiam adiungere; ſed vereor,ne mentes veſtras obruamus. Interea verò,quæ dicta ſunt ad illos euertendos, memoriâ tenete. Interea ſpinas euellamus. Tunc verò cum euulſę fuerint ſpinæ,ac paululum requietis conceſſum terræ; bonam ſementem faciemus,ut omni,quod inde contraxit, vitio depoſito,magna cum habilitate ſuſcipiat diuina ſemina.

Exo. 3.



MORALIS DIGRESSIO.

De uincendis inimicis potestatibus.



GRATIAS agamus pro iis, quæ dicta sunt, Deo: postulemus ad ipso; det nobis ea custodire, ac retinere; ut & nobis, & vobis gaudium obtingat; hęretici vero dedecore notati abeãt. Illum obsecremus, vt ad ea etiam, quæ sequũtur, os nobis aperiat; vt nostra etiam pari diligentia statuamus. Ab eo precemur, vt vitam quoque ipsa fide dignam nobis præbeat; quò ad ipsius gloriam viuamus; ne ipsius nomen nostrà causà blasphemiis appetatur. [Veh vobis enim, inquit, propter quos nomen Dei blasphematur] Etenim si nos filium habentes (quamquàm quid filio nobiscum coniunctius?) si filium, inquam, habentes, atque illius causà blasphemiis appetiti, ipsum repudiamus, auersamur, nec nostrum dici volumus; quanto magis Deus seruos, quos ingratos viderit, & à quibus se blasphemiis, & contumeliis affici cognouerit, auersabitur, atq; odio prosequetur? Quem verò Deus oderit, atque auersatus fuerit; quis suscipiet, ac complectetur? nemo præter Diabolum, ac dæmones. Quem verò dęmones cæperint; quam salutis spem habebit? quod vitę solatium? quamdiu in manu Dei sumus; nemo rapere nos potest. Robusta enim & valens est: cum primum verò de manu illa deciderimus, atq; auxilium illud amiserimus; periimus; omnibus expositi ad rapinam sumus, omnibus ad conculcandum, tanquam murus inclinatus, & sepes cõcidens. Etenim cũ murus est inbecillis, facile cuiuis patet ad irrumpendum. Neq; enim quod dicturus sum, ad solam Hierusalẽ putetis pertinere, sed etiam ad singulos quoque homines. Quid verò de Hierusalem dictum est? [Cantabo dilecto canticum dilecti mei, vineæ meę. Vinea facta est dilecto in cornu, in loco pingui. Et sepiui eam, ac vallo circundedi, & plantaui vitem Sorech, & ædificaui turrim in medio eius, & torcular extruxi in ea, & expectaui, vt faceret vuam, & fecit spinas. Nunc igitur viri Iuda, & habitatores Hierusalẽ iudicate inter

Esa. 52. & Ro. 2.

Esa. 5. uulgata autem paulo aliter

ter me,& vineam meam. Quid est,quod vltra debui facere vineę meæ, & non feci ei? ideo expectaui, vt faceret vuã; fecit autem ſpinas. Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem;& diruam maceriam eius,& erit in conculcationem:& derelinquam vineam meã;& nõ putabitur,& non fodietur, aſcendent in eam perinde atque in terram incultam ſpinę, & nubibus mandabo,ne pluant ſuper eam imbrem. Vinea enim domini exercituum domus Iſrael eſt, & uir Iuda germen dilectum. Expectaui vt faceret iudicium; fecit autem iniquitatem; & non iuſtitiam, ſed clamorem] Id etiam de ſingula quaque anima dicitur. Nam cum omnia, quæ oportuerat, impleuerit benignus Deus; illa verò pro vua ſpinas fecerit; ſepem auferet, & murum diruet, ac patebimus direptioni; Audi vero, & quanto cum fletu alius propheta hæc dicat. [Vt quid deſtruxiſti maceriam eius; & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Exterminauit eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam?] Ibi quidem de Medo, ac de Babilonio loquitur; hìc vero nihil eſt, quod de illo dicatur; ſed aper, & ſingularis ipſe diabolus eſt, totaque illius manus. Singularem uero illum appellauit; vt ipſius ferociam, atque impuritatem ob oculos poneret. Nam ſcriptura, cum illius rapacitatem demonſtrare vult; ita inquit [tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret]; cum virus illud pernicioſum, ac lethale; ſerpentem vocat, & ſcorpionem [calcare inquit ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici]; cum ſimul venenum, & robur; dracone nominat; quemadmodum eo loco [Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei], & Draconem & ſerpentem tortuoſum, & aſpidem vbiq; ipſum vocat: tortuoſa enim, ac varia beſtia, & magnis pollet viribus, omnia mouet, omnia turbat, omnia ſurſum, ac deorſum agit. Verùm ne timeatis; ne animũ deſpondeatis. Tantùm vigilate; & erit, vt paſſerculus. [calcate enim, inquit, ſupra ſerpentes, & ſcorpiones.] Illum, ſi voluerimus, eò fecit Deus; vt noſtris pedibus conculcetur.

Pſal. 79.

1. Pe. 5.

Lu. 10.

Pſal. 103

Vide igitur, quàm ridiculum, vel potius, quàm miserum sit eum, qui nobis datus est ad calcandum, intueri stãtem supra caput nostrum. Quomodo verò hoc fit? à nobis. si nos velimus; magnus est; si nos velimus; paruus fit: si nostri ipsorum curam geramus, stemusque vnà cum Rege nostro; contrahit se, ac nihilo plus paruo infante in pugna aduersus nos potest; sin à Rege desciuerimus, valde turget, fremit, dentes acuit; quippe qui nos magno illo auxilio destitutos nactus fuerit. non enim aggreditur; nisi permiserit Deus. Nam si in porcorum gregem inuadere ausus non est Deo non permittente; multo minus in animas hominum. permittit autem Deus, vel erudiens, vel pœnam exigens, vel clariores faciens. Vides illum non aggredi Iob, neque audere accedere, sed metuere, atq; tremere. Et quid dico de Iob? Nam in Iudam inuadens non ante totũ apprehendere, atq; in ipsum ingredi ausus est; quàm illum Christus à sacro choro secreuisset. Extrinsecus quidem tẽtabat; sed intus irrumpere non audebat. Postquam verò à sacro illo grege abscissum vidit; quouis lupo vehementius impetum fecit; neque ante destitit, quàm illum duplici morte mactaret. Hæc ad nostram eruditionem sunt scripta. Nam si quæras; ecquid lucri sit nouisse Christum ab vno ex duodecim esse proditum, ecquid emolumenti, ecquę utilitas; magnam respondebo. Etenim cum didicerimus; qua ille causa impulsus, hoc exitiale consilium cæperit; cauebimus ipsi, ne ab eadem nos quoque auferamur. Vnde igitur ille huc descendit? ex auaritia: fur erat; ideo triginta argenteis Dominum prodidit. Ita illum morbus iste ebrium reddiderat; vt orbis dominum triginta argenteis proderet. Quid hac insania deterius? nihil par ei, quem tradidit; nihil tanti. Cui gentes si conferantur [quasi nihilum reputatæ sunt ei]; hunc triginta argenteis prodidit. Grauis enim est auaritiæ Tyrannis; quæque animam de suo statu deturbare queat. Non perinde quis ex ebrietate demens redditur; atque ex auaritia; Non æquè ex insania, ac stupore; atque ex argenti cupiditate. Ecquid enim aliud causæ fuit, dic mihi, cur proderes? te obscurum atque ignotum hominem vocauit,

Lu. 8.

Cur Deus permittat nos tẽtari à Diabolo.

De auaritia & Iuda.

Esa. 40.

vocauit, vnumque ex duodecim fecit; doctrina impartiuit; innumerabilia bona promisit; miracula faciendi potestatem dedit; mensæ, itinerum, consuetudinis, contubernii, rerum omnium æquè ac cęteri particeps eras; Hęccine satis nō fuerunt, quæ te cohiberent? quam igitur ob causam prodidisti? quid habebas; quod quercris scelestè? vel potius quo nam beneficio affectus non fueras? nouerat mentem tuam; nō destitit, quæ ab ipso erant expectanda, præstare. Sæpè dixit [quia vnus ex uobis tradet me] *Io. 13.*
sæpè notauit, ac tibi tamen pepercit; & cum talem te esse sciret, ex choro non eiecit; adhuc ferebat; adhuc ut legitimum, atque vnum ex duodecim, ita honorabat, ita diligebat. Denique, ò scelus, linteo etiam sumpto, puris illis manibus impuros pedes tuos lauit; neque id etiam te cohibuit; furabaris ea, quę pauperum erant; atque istud etiam, ne ad maius aliquod malū progredereris, ferebat; sed nihil animum tuum mutauit. Nam etiam si fera esses, etiam si lapis; non ne beneficiis in te collatis, non ne miraculis, non ne illo docendi officio flecti te oportebat? Verum usque adeo efferatum adhuc uocabat; & mirandis operibus alliciebat; quamuis lapides ipsos uacuitate sensu exuperares: sed nihil horum fuit, quod te meliorem redderet. Forsitan miramini tantam proditoris amentiam. Metum igitur vobis incutiat illius vulnus. Argenti cupiditas, pecuniarum amor talem reddidit. Euelle hunc affectum: tales enim morbos parit; impios facit; atque eò nos adducit; vt etiam si sexcentis beneficiis afficiamur, Deum ignoremus. Euelle, obsecro; non est leuis morbus, sexcētas acerbissimas mortes afferre nouit. Vidimus Iudæ morbum; metuamus; ne ipsi quoque in eadem incidamus: ideo scripta sunt, ne iisdem nos quoque malis afficiamur: propterea ab omnibus Euangelistis id narratum est; vt nos temperantiam docerent: procul fuge: non hoc solum auaritia est, multas pecunias cupere, sed etiam pecunias omnino cupere. Grauis auaritia est plus poscere, quàm opus sit. Non enim talenta auri fuerunt; quæ proditorem in hanc mentem impellerent; sed triginta argentei. Triginta argen-

argenteis ipsum prodidit dominum. Ergo memoria tenete; quod antea dicebam; immoderatam habendi cupiditatem non in eo solum se ostendere; quòd magna accipiātur; sed etiam, quòd parua. En quantum scelus iste commisit pauculo auro adductus, vel potius non auro, sed argenteis. Nefas, nefas planè est hominem auarum vnquam intueri faciem Christi. Hoc est vnum ex iis, quæ fieri minime possunt. Radix malorum auaritia est. Quòd si qui vel vni malo obnoxius est, gloriam illam amittit; qui radicem ipsam secum affert; vbi collocabitur? nefas est pecuniarum seruum, germanum esse Christi seruum. Christus ipse pronunciauit rem esse huiusmodi; quæ constare nullo pacto queat [Non potestis, inquit, Deo seruire, & Mammonæ] Et [Nemo potest duobus dominis seruire]: contraria enim præcipiunt. Christus inquit; parce pauperibus; Mammona inquit; exue illos etiam iis, quæ habent; Christus inquit; effunde quæcunque habes: Mammona inquit; Ea etiam cape, quæ non habes. Vides pugnam? vides bellum? Vultis ne ostendamus; quomodo vtrique nemo obtemperare potest; sed alterum contemnat oportet? an res ita clara est, vt minimè egeat oratione? cum id in rebus, & factis ipsis cernere liceat? An non hoc cernimus, Christum quidem contemni, Mammonam verò coli? sentitis, quàm vel ipsa verba aspera sint? Quòd si verba; multò magis res ipsę. Verùm in rebus, ac factis non ęquè apparet ipsa asperitas; quoniam nos morbus occupat. Nam nunc quidem, & si non nimis valde ab hoc morbo se purgauerit anima; tamen dum in hoc ipso statu manet, potest rectè iudicare. At cum febri correpta est, & in ipsa rei voluptate versatur; facultatem iudicandi minimè puram habet, non incorruptum tribunal. Christus inquit [qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non est meus discipulus] Mammona inquit; Eripe esurienti panem. Christus inquit; Vesti nudum: hic verò; nudum etiam exue. Christus inquit, [Domesticos seminis tui ne despexeris] Mammona inquit, domesticorum seminis tui ne miserearis: etiam si matrem

Matt. 6.

Luc. 14.

Esa. 58. secundum 70 Hier. paulo aliter.

videris, etiam si patrem; sperne. Et quid dico patrem, & matrem? tuam quoque ipsius, inquit, animam perde; attamen auditur. Hei mihi; ei qui adeò sæua, & immitia, & fera mandata imponit, dicto audientes potius sumus; quàm illi, cuius leuia, nobisque salutaria iussa sunt? Hinc geenna; hinc ignis; hinc fluuius ignis; hinc vermis finem nesciens. Scio multos esse, qui nos hæc dicentes non iucundè audiant. Nam neque mihi sunt iucunda dictu: quid enim his dicendis consequor? Vellem vobis perpetuò ea, quæ regni propria sunt, narrare, requietem illam, aquam plenè reficientem, viridia, ac læta pascua. Inquit enim. [Super aquam refectionis educauit me, & in loco pascuę ibi me collocauit] Vellem de loco illo dicere; vnde dolor, ęgritudo, luctus abest. Vellem narrare voluptatem; quæ Christo fruendo capitur; quamquàm omnem orationem, omnem cogitationem superat. Verumtamen pro viribus in isto argumento versare vellem; sed quid agam? non licet ad eum; qui febri laborans male habet, de regno verba facere. Etenim dum ita habet, de sanitate differendum est; dum pœnę est obnoxius, non ei rectè de honore disseritur. Tunc enim hoc vnum quęritur, à pœna, & supplicio liberari: nisi hoc consequatur; quomodo illud consequetur? propterea de his assiduè loquor; ut ad illa citius veniamus. Nam & Deus ipse ideo Geennam minatus est; vt nemo in geennam decidat; ut omnes regnum assequamur. Et nos idcirco geennę perpetuò mentionem facimus; vt ad regnum vos incitemus; vt mentes vestras timore mollientes ad ea, quę regno digna sunt, facienda apparemus. Ne igitur succenseatis verborum grauitati. Horum enim verborum grauitas leues reddit animas vestras à peccatorum pondere. Nam & ferrum graue est, & malleus grauis; ac tamen faciunt vasa aurea & argentea; & quę distorta sunt, dirigunt; quòd nisi grauia essent, distortam materiam dirigere neutiquam possent. Ita etiam grauis sermo noster componere animam potest. Verborum igitur grauitatem plagasque

Psal. 22.

Asperitati orationis non succensendum.

gasque ab illis factas ne fugiamus. Non enim ideo infertur plaga; vt animam frangat, ac laceret; sed vt corrigat. Scimus enim Dei munere, quis sit verberandi modus; & quàm altè infligamus plagam; vt ne comminuatur vas; sed ut poliatur; vt dirigatur; vt aptum reddatur, quo utatur Dominus; vt ex sanitate splendidum offeratur, beneque sculptum in illa die, in qua existet flumen ignis; vt offeratur pyræ illius, quæ ibi futura est, minimè indigum. Nam nisi dum hìc estis, vos inflammauerimus, illhìc omnino inflammemini necesse est; nec fieri aliter potest [Dies enim

1.Cor. 3. Domini in igne reuelatur.] Satius est ad breue tempus nostris sermonibus vramini; quàm perpetuò flamma illa. Id enim futurum omnino esse, perspicuum est: ac sępè vobis rationes attuli; quibus cõtradici non potest: ac solas quidem scripturas plenam vobis fidem facere oportebat; sed quoniam nonnulli procliues ad contentionem sunt; multa etiam ratiocinationibus mouimus. Nihil verò impedit; quominus & nunc easdem afferamus. Quæ nam verò illæ erant? Iustus est Deus; omnes fatemur, & Gręci, & Iudæi, & Hæretici, & Christiani. At hinc multi, qui peccarant, abierunt impunè: multi qui ex virtute vixerant; tum demum abierunt; cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si iustus Deus; vbi nam his quidem præmia, illis verò supplicia tribuet, si non est geenna, si non est altera vita? Hanc igitur rationem & illis, & vobis ipsis semper canite; nec sinet vos de resurrectione dubitare. Qui verò de resurrectione non dubitat; is sedulo, atque attentè vitam suam curabit; ut sempiterna bona consequatur. Quæ vtinam nos omnes consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi &c.

Ratio ad probandam resurrexionem.

SERMO SEPTIMUS.



HOC sentiatur in uobis, quod & in Christo Iesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo: humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem

tem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloriam Dei Patris. Exposita à nobis illa sunt; quæ ad hæreticos pertinebant. Iam verò oportunum est nostra etiam afferre. Illi ita dicunt verba ista, *Non rapinam arbitratus est*, idem valere, ac si dixisset, non rapuit. Nos verò ostendimus inæptum id, atq; absurdum futurum fuisse; Neminem enim esse, qui aut ex huiusmodi loco ad animi humilitatem cohortetur; aut Deum, hominem vè hac ratione celebret. Quid igitur est ò dilecti? Attendite ea, quæ nunc dicuntur. Quoniam magnam partem homines arbitrantur; si humiliter se gesserint; fore vt propriam amittant dignitatem, & minoris habeantur, atque ad humiliorem locum descendant; hunc metum adimens Apostolus, quid inquit? ostendens non ita nobis sentiendum esse; de ipso Deo inquit, Deum illum vnigenitum, qui in forma Dei est, qui nihil minus Patre habet, qui ei ęqualis est, non rapinam esse arbitratum esse æqualem Deo. Quid verò istud est? Percipe. Quod quisque rapuit, & præter æquum accepit; id deponere nequaquam audet, veritus, ne amittatur, atque ex manibus elabatur; sed perpetuò apud se retinet: at qui naturalem quampiam dignitatem habet; is minimè metuit ab illa etiam dignitate descendere; certè enim scit nullum sibi illius amittendæ periculum imminere. Afferam exemplum. Absalon rapuerat tyrannidem; idcirco eam deponere non audebat. Sed aliud etiam exemplum proponemus. Quòd si exempla rem totam repræsentare nequeunt; ne moleste feratis. Exempla enim sunt huiusmodi; maiorem partem menti cogitandam relinquunt. In Regem quispiam inuasit, regnumque eripuit. Hic deponere, aut dissimulare autoritatem suam minimè audet. Nam si semel dissimularit; statim illa amittitur; Quod exemplum aliis etiam ex rebus peti potest. Quicquid enim quisque rapuit; id perpetuo retinet. Nam cum primum illud deposuerit; amittet; omninoque quod quisque ex rapina

habet; timet deponere, atque à se remouere, & non perpetuo illud retinere, quod occupauit. Abest verò hic timor ab iis; qui minimè ex rapina habent; quemadmodum homo dignitatem istam, vt rationis compos sit, ex rapina non habet: sed non inuenio satis aptum exemplum. Non enim est apud nos principatus naturalis. Bonorum enim nullum nobis naturale est; quandoquidem omnia simul cum natura Dei coniuncta, illiusque propria sunt. Quid igitur Paulus ait? Dei filium veritum non esse de gradu dignitatis suę descendere; quoniam non est arbitratus rapinam ipsam deitatem; quoniam non timuit; ne quis ipsi naturalem suam dignitatem eriperet. Quamobrem illam etiam deposuit, non dubitans se recepturum; atque abscondit; non ideo se minorem fieri arbitratus: propterea minimè dixit, non rapuit; sed, *non rapinam arbitratus est:* Non ex rapina habuit principatum, neque etiam ab alio sibi traditum, sed naturalem, stabilem, ac tutum. Ideo neque etiam satellitum cunctatur habitum sumere. Tyrannus metuit in bello purpuram deponere; Rex verò id fidenter ac tuto facit; cur? quia non ex rapina principatum habet. Non ergo veluti, qui rapuisset, non deposuit; sed vt qui naturalem haberet, eumque qui amitti nunquam posset; occultauit. Hoc inquam, esse æqualem Deo, non ex rapina habuit, sed à natura; quamobrem se ipsum exinaniuit. Vbi sunt, qui dicunt, illum subiisse necessitatem, ac subiectum fuisse? *Se ipsum, inquit, exinaniuit, se ipsum humiliauit, obediens factus usque ad mortem:* Quomodo exinaniuit? *formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo:* hoc loco spectans ad illud, quod antea dixerat, [superiores sibi inuicem arbitrantes] hæc verba protulit *seipsum exinaniuit*: Etenim si subiectus fuisset, ac non sponte, atque ex seipso hoc suscepisset; minimè res ista humilitatis nomine erat commendanda. Nam si id faciendum sibi omnino esse ignorauit; nondum suam perfectionem, atque absolutionem erit assequutus; sin autem cum mandati tempus nesciret, illud expectauit; igitur tempus ignorasse fatendum erit. Quòd si & faciendum esse; &

quo tempore faciendum, sciuit; quæ nam causa est; cur illum subiectionem sustinuisse dicendum sit? Vt patris, inquiunt, præstantiam indicet. Istud uero minimè est patris præstantiam indicare, sed suam uilitatem. Patris enim nomen nonne satis est ad indicandum patris priorem in origine gradum? Hoc autem uno excepto, quòd pater non est, omnia eadem habet filius. Ac sane neque aptus est hic honor, quia à patre perueniat in filium. Hoc autem excepto, quęcunque patris sunt, filio etiam sunt communia. Hoc loco Marcionistæ, quod dictum est, arripientes; ecce, inquiunt, non est factus homo. Non enim dixit Paulus, factus est homo, sed *in similitudine hominũ factus*. Quomodo uero potest quis in similitudine hominum fieri? umbram indutus? Igitur idolum istud est, ac tenuis imago; minime verò hominis similitudo. Hominis enim similitudo alter homo est. Quid autem respondebis Ioanni ita dicenti, [Verbum caro factum est?] Verùm & hic ipse beatus alibi *Cap. 1.* inquit [In similitudine carnis peccati]: *& habitu inuentus ut* *Rom. 8.* *homo*. Ecce inquiunt, & habitu, & ut homo. At esse ut hominem, & esse habitu hominem, hoc nequaquam est uerè hominem esse. Habitu enim hominem esse, aliud est, ac natura esse hominẽ. Videte quàm ego ingenuè, & æquo animo ea, quæ ab aduersariis dicuntur, afferam. Tunc enim demum splendida, ac redundans uictoria parta erit; cum illorum argumenta, quæ aliquid roboris videntur habere, minimè absconderimus. Abscondere enim, potius dolus est, quàm victoria. Quid igitur inquiunt? rursus enim eadem repetamus. Aliud est habitu hominem esse, ac natura; atque esse vt hominem, & in similitudine hominis esse longe aliud est, atque hominem esse. Ergo & formam serui accipere aliud est, ac formam serui accipere. Secum igitur hoc ipsum pugnat; & quare tu non prior istud dissoluis? Nam quemadmodum hæc nobis aduersari existimas; ita & nos illud tibi aduersari ostendimus. Non enim dixit, ut forma serui, neq; in similitudine formæ serui; neque in habitu formæ serui; sed, *formam serui accæpit*. Quid igitur hoc est? subest ne aliqua in uerbis pugna? nulla pu-

gna:absit: sed operę precium est frigidam & ridiculam illorum interpretationem animaduertere. formam, inquiunt, serui accepit; cum linteo circumcinctus discipulorum pedes lauit. Hoccine forma serui est? neutiquā forma serui est; sed opus serui. Aliud verò est opus serui esse; ac formam serui accipere. Cur enim non ita dixit, opus serui fecit; quod multò manifestius erat? Nusquàm omnino in scriptura nomen formę pro opere est vsurpatum. Magna enim inter hæc differentia intercedit. Nam alterum quidem naturę est; alterum verò functionis muneris, atq; operationis. Nec verò vnquam in ipso etiam vsu loquendi formam pro opere dicimus. Quamquàm apud istos ne opus quidem fecit, neque succinxit se. Etenim, si quod gerebatur, in visione ac spectro duntaxat consistebat; nulla suberat veritas. Si manus non habebat; quomodo lauit? si renes non habuit; quomodo se linteo succinxit. Ecquę verò etiam vestimenta sumpsit? Nam [accæpit, inquit, vestimenta sua]. Quemadmodum igitur nullum hìc opus, quod vere factum fuerit, reperitur; sed mera illusio; ita neque discipulorum pedes lauit. Nam si incorporea illa natura in carne non apparuit, neque in corpore fuit; quis igitur discipulos lauit? Cęterùm quid rursus aduersus Paulum samosateum afferemus? Quid nam ille dicit? plane idem. Nos autem istud tenemus Non hoc esse inanitionem, eum qui naturam habeat humanam, purusque homo sit, lauare conseruos. Quę enim aduersus Arianos diximus; valent etiam aduersus istos. Nihil enim inter eos interest, nisi breue quoddam temporis interuallū: vtriq; enim creaturā statuunt Dei filiū. Quid igitur aduersus ipsos dicemus? si homo homines lauit; non inaniuit, non humiliauit se ipsum. Si cum homo esset, non hoc rapuit, nimirum esse se æqualem Deo; profecto non est, cur laudetur. Nam eum quidem, qui Deus sit, hominē fieri, magna humiliatio est; quāque nulla oratio consequi narrando queat. Eum verò, qui homo sit, humana facere; quæ tandem humiliatio? Vbi verò, quod opus Dei est, appellatur forma Dei? Etenim si purus homo erat, atque ex operibus

Ioan. 13.

ribus appellatur forma Dei; cur non & in Petro id facimus? qui maiora etiam opera edidit? Cur non & Paulum inquis Dei formam habuisse? cur non & seipsum ad exemplum proposuit Paulus; qui sexcenta ministeria seruilia obiuerat, ac nullum recusauerat? Inquit enim, [non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum dominum; nos autem seruos vestros per Iesum]. Deridicula, ac nugæ sunt, quę ab istis afferuntur? humiliauit seipsum, inquit, Quomodo seipsum humiliauit, dic mihi. Ecquæ hæc inanitio? An quoniam miracula edidit? At hoc & Paulus, & Petrus pręstiterunt; quamobrem minimè hoc proprium, ac peculiare filii fuerit. Quid igitur sibi volunt verba illa *in similitudine hominum factus*? Multa ille quidem nostra habuit; multa verò non habuit; huiusmodi sunt, non esse natum ex commistione corporum; peccatum non admisisse. Hæc ipsius erant propria, nullique hominum communia. Non hoc solum erat quod apparebat; sed etiam Deus. Etenim apparebat quidem homo; in multis verò non erat similis; tametsi carne similis erat. Hoc igitur ista verba indicant, non fuisse purum hominem: propterea inquit, *in similitudine hominum*. Etenim nos quidem anima, & corpus sumus: ille vero Deus, & anima & corpus. propterea inquit, *in similitudine*. Etenim ne audiens voces illas, *exinaniuit semetipsum*, mutationem aliquam suspiceris, ac degenerationem, & interitum; manens, inquit, quod erat, assumpsit, quod non erat; & caro factus perseuerauit esse Deus verbum. Hac igitur ratione Paulus dixit, similem esse homini; atque illud præterea addidit, *ut habitu*: non enim natura degenerauit; neque confusio vlla facta est; sed habitu factus est. Nam cum dixisset formam serui accepisse; fidenter postea istud etiam protulit; nimirum cum illud nemini non os obstruxisset. Etenim & cum ita dicit, [in similitudine carnis peccati] non hoc dicit, carnem non habuisse; sed carnem illam non peccasse; similem tamen fuisse peccatrici: Quatenus similis? secundum naturam, non secundum vitiositatem: Propterea similis animę peccatricis. Quemadmodũ igitur ibi similitudinis nomine vsus est

2.Cor.4.

Rom. 8.

est; quoniam non omnia æqualiter se habebant; ita & hoc loco utitur; eò quòd non omnia sunt æqualia; ut pote, quòd non ex commistione corporum; quòd sine peccato; quòd minimè nudus homo: ac pulchrè dixit. *Vt homo*. Non enim erat unus ex multis, sed ut unus ex multis. Non enim Deus verbum in hominem degenerauit; neque substantia est mutata: sed tanquam homo apparuit; non simulacris ac visis nos decipiens; sed erudiens ad animi humilitatem. Cum igitur ita inquit, *Vt homo*, hoc sibi vult: cæteroquin
1. Tim. 2. & hominem alibi ipsum uocat; ut cum dicit [Vnus Deus, & vnus mediator homo Christus Iesus.] Ea etiam diximus; quæ aduersus istos dicenda erant. Deinceps uerò aduersus eos, qui negant assumpsisse animam, necessariò dicendum. Si forma Dei perfectus Deus est; certe & forma serui perfectus est seruus. Iterum contra Arianos ratio suppetit. *Cum in forma Dei esset; inquit, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*: hìc de diuinitate loquens nusquam istis verbis utitur, factus est, aut accępit: *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus*: hìc de humanitate: quare audis ista uerba, accępit, & factus est. Hoc factus est; hoc accępit: illud uerò erat, ac subsistebat. Igitur nec confundamus, nec diuellamus. Vnus Deus; vnus Christus, qui filius Dei. Verùm, cum vtor ista uoce, vnus; vnionem dico, non confusionem: non enim natura hæc in illam uersa degenerauit, sed unita est. *Humiliauit semeptipsum factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis*. En, inquiunt, sponte factus est obediens, cum ei minimè ęqualis esset, cui obediuit. O stolidi, ac dementes; hoc de illo nihil detrahit; quandoquidem nos etiam amicis obedimus, neque id tamen nos minores facit. Sponte filius patri obediuit; non quasi in seruilem conditionem decidisset; sed hoc ipso maximè seruans suspiciendam illam germani filii dignitatem; magnũ, inquam, patri honorem exhibendo. Honorauit patrem; non ut ipsum propterea tu honore spoliares; sed ut ma-

gis suspiceres, ac uenerareris; ut uel hinc germanum filium agnosceres, ac suspiceres; quòd omnium maximè patrem honorauit. Nemo Deum ita honorauit. Quantum habuit celsitatis; tantundem uicissim humilitatis subiit. Quemadmodum omnibus maior est, ac nemo illi æqualis; ita in patre etiam honorando omnes uicit, non coactus, neque inuitus; sed hoc etiam uirtutis ipsius fuit: aut potius desunt mihi uerba, quibus vtar. Magnum omnino illud est; atque inexplicabile, seruum fieri: sed mortem prǫterea subire, longe adhuc maius. Verumtamen, & aliud quiddam est hoc facto maius, magisque opinionem omnem exuperans. Quomodo? non cuiusque mortis eadem conditio est. Hæc uerò, quam dominus pertulit, omnium turpissima habebatur: hæc plenissima ignominiæ: hæc, quam homines execrentur. [Maledictus enim inquit, omnis, qui pendet in ligno]. *Deuter. 21 et Gal. 3.*
Propterea etiam Iudæi hac ipsum morte afficere studuerunt; quò infamem præterea redderent; ut nisi quis ab eo idcirco deficeret, quòd è medio sublatus esset; saltem ob hanc causam deficeret; quod hoc modo sublatus. Propterea etiam inter duos latrones Cruci affixus est, ut eadem de ipso, ac de illis existimatio esset; atque impleretur, quod dictum est. [Et cum iniquis reputatus est]: sed tanto magis elucet ueritas; tanto illiustrior redditur. *Esa. 53. et Mar. 10.*
Longe enim pulchrius, atque admiratione dignius spectaculum apparet; cum tot ab hostibus aduersus ipsius gloriam artificiis, ac machinis adhibitis, splendet tamen illa, & fulget. Illi enim non solum, quòd interfecerant, sed etiam, quòd hoc modo interfecerant, talem se reddidisse putabant; quem homines detestarentur, ac maximè quidem detestarentur; nec tamen quicquam profecerunt. Erant uerò ambo illi latrones adeo impuri, (nam postea quidem alter ipsorum in bonam partem mutatus est) ut etiam dum in Cruce essent, in ipsum probra iacerent; illorumque furorem non conscientia suo-

ſuorum peccatorum, non ſupplicium, non eiuſdem pœnę perpeſſio coerceret; quod etiam vnus ipſorum vidit,
Luc. 23. atque alterum his verbis compeſcuit. [Neque tu times Deum; quòd in eadem damnatione ſumus?] tanta erat illorum improbitas; ſed nihil hinc quicquam detrimenti proprię ipſius gloriæ allatum eſt: quamobrem inquit. *& Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*: Poſtquam Paulus carnis mentionem induxit: fidenter deinceps omnia illa commemorat; quæ humilitatem indicant. Quoad enim minimè dixerat, formam ſerui ſumpſiſſe, ſed de diuinitate differebat; vide quàm excelſe: excelsè, inquam, pro virium modo: nam illius quidem dignitatem non aſſequitur: minimè enim poteſt. *Cum in forma Dei eſſet, inquit, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:* At poſtquàm dixit hominem eſſe factum; fidenter deinde, quę humilia ſunt, profert; hoc fretus, nullum diuinitati damnum propterea importari; quòd humilia de ipſius carne commemorentur iſtas ſuſcipiente humilitates. *Propter quod & Deus exaltauit illum; & donauit illi nomen; quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur; quia dominus Chriſtus Ieſus in gloriam Dei patris:* Dicamus aduerſus hęreticos. Si hęc de non incarnato afferuntur, ſi de Deo verbo; quomodo ipſum exaltauit? & hoc modo exaltauit; quaſi plus aliquid ei dederit? Ergo hac quidem ex parte imperfectus erat; & per nos obtinuit perfectionem. Etenim niſi nobis benefeciſſet; neutiquam honorem iſtum eſſet conſequutus, *& donauit, inquit, nomen:* Hem ne nomen quidem, quantum veſtra] fert opinio, habebat. Quomodo verò, ſi id, quod ſibi debebatur, accępit; ex dono, & gratia accępiſſe tuebimur? *Et donauit nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Verùm, & quale ſit iſtud nomen, videamus. *Vt in nomine Ieſu Chriſti, inquit, omne genu flectatur:* Nomen iſti gloriam interprętantur. Hæc igitur gloria omnem gloriam ſuperat. Gloria autem omnino hæc apud vos eſt, flecti genua ac ſe ad illum prouoluere. Longe abeſtis à Dei magnitudine ò vos, qui vobis cognitum eſſe Deum putatis, quemadmodum

admodum ipse seipsum nouit. Atqui uel istud satis indicat, quantum à bona mente, rectaq; de Deo sententia absitis. Cęterùm hoc etiam indicabit; Hæc, dic mihi gloria est? Ergo antequam homines facti essent, antequàm Angeli, antequam Archangeli, minime erat in gloria. Etenim si hęc ea gloria est, quę superat omnem gloriam (hoc enim significant illa uerba, *quod est super omne nomen*); certè tametsi in gloria erat, at saltem in minore, quàm nunc sit. Huc igitur spectans, & ob hanc causam, ut gloriam assequeretur, res ipsas condidit, minimè verò bonitate adductus, sed indigus gloriæ, quę à nobis proficisceretur? Videte amentiam; uidete impietatem. Itaq; si hæc de incarnato dicantur; optima sane ratione dicētur: finit enim Deus uerbum de carne hæc dici: Non enim diuinam naturam tangunt; sed omnia in œconomia, idest in assumpta humanitate hęrent, atque insistunt. Nunc verò ad Deitatem ista malitiosè accommodantibus nulla superest venia. Quamobrem, si quando dixerimus, hominem Deus fecit immortalem; etiam si de toto homine dicam; quid dicā, scio. Quid uerò illa sibi uerba uolunt? *Coelestium; & terrestrium, & infernorum*: id est omnis mūdus, & angeli, & homines, & dęmones; vel hoc significat, & iusti, & peccatores. *Et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloriam Dei patris*, id est, ut omnes hoc dicant. Id uerò gloria patris est. Vides ubiq;, cum filius glorificatur, glorificari patrem? itidem uerò dedecorato filio, dedecoratur etiam pater. Nā si apud nos hoc fit, vbi inter patrem, & filios multum interest; multò magis in Deo, ubi nihil discriminis, in ipsum & honor, & dedecus redundabit. Nam si orbis, inquit, fuerit subiectus filio; id gloria patris est. Ergo, & cum dicimus esse perfectū, non indigentem, nihilo minorem patre; hoc gloria patris est. Hoc & potentię ipsius magnum indicium, & bonitatis, & sapientiæ, quòd filium talem genuit; quod nihilo minorem, neque quod ad bonitatem, neque quòd ad sapientiam attinet: Cum sapientem esse dico item ut patrem, & nihilo minorem; hoc magnæ patris sapientiæ indicium est: cum dico potentem ęquè esse, ac patrem; hoc potentiæ

Videtur innuere locū Pauli 1. Cor. 15. et Heb. 2.

patris indicium est: cum dico bonum esse item vt patrem; hoc bonitatis argumentum maximum; talem, inquam, genuisse, qui nequaquam ipso sit inferior, nequaquam minor, atque indigus. Cum dico non esse minorem secundũ essentiam, sed æqualem, neq; alterius esse substantiæ: hinc etiam rursus Deum suspicio, & potentiam ipsius, & bonitatem, & sapientiam; qui alium ex se nobis eiusdemmodi prompserit, hoc excepto, quòd pater non est. Quamobrem, quæcunq; tandem de filio magna dixero, omnia hęc in patrem redũdabunt. Nam si exiguum istud, ac leue (exiguum enim ad Dei gloriam est, à mundo filium adorari) ad gloriam Dei pertinet; multò magis reliqua omnia.

MORALIS DIGRESSIO.

Non sufficit sola fides.



CREDAMVS igitur ad ipsius gloriam; & viuamus ad ipsius gloriam. Alterius enim sine altero nulla vtilitas. Nam, cum illum rectè quidem glorificamus, sed non rectè viuimus; tunc maximè in ipsum contumeliosi sumus; quippe qui illum dominum, ac magistrum inscriptione ipsa prę nobis ferentes, nihilominus eum contemnimus; nec terribile illud tribunal pertimescimus. Etenim Græcos quidẽ impure viuere, neque mirandum est, neque tanto dignum supplicio. At Christianos tantorum mysteriorum participes, tantæque gloriæ compotes adeò impuram vitam viuere, hoc nimirum est, quod omnem exuperat improbitatem; nulloque pacto ferendum est: id adeo mecum recognosce. Christus vsque ad vltima obedientiæ officia descẽdit; propterea ad excelsum illum honoris gradum peruenit; seruus factus est; propterea omnium factus est dominus, & Angelorum, & cæterorum omnium. Quamobrem nos etiam minimè de statu dignitatis nostræ deiici existimemus; cum nos ipsos humiliauerimus. Tunc enim potius vere in sublime ferimur: tunc maximè digni sumus, qui

qui suspiciamur. Quòd enim sublimis sit humilis; humilis verò sublimis; sufficit ad fidem faciendam vel vna Christi sententia hoc pronuncians. Verumtamen ipsam quoq; rei naturam perpendamus: quid est humiliari? an non vituperari? an non accusari, & calumniis peti? quid verò exaltari? non ne honorari? laudari? in magna gloria esse? Videamus igitur, quomodo ad hæc perueniatur. Angelus erat Satan, seipsum exaltauit: quid igitur? non ne omnium maximè est humiliatus? non ne sedes ipsius terra est? non ne ab omnibus accusatur? omniumque criminationi patet? Homo erat Paulus; humiliauit seipsum: quid igitur? an non suspicitur? an non laudibus, atque encomiis celebratur; an non Christi amicus est? an non maiora illis edidit; quę Christus fecerat? an non sępè diabolo tanquàm mancipio imperauit? an non veluti lictorem circunduxit? an non ludibrio habuit? an non contritum illius caput suis subiecit pedibus? an non aliis etiam hoc idem magna cum fidentia à Deo precatus est? Quid hæc affero? extulit seipsum Absalon; deiecit seipsum Dauid: vter tandem positus in excelso est? vter gloria circumfluxit? Quid enim verbis hisce humilius; quibus beatus hic Propheta erga Semei vsus est? cum ita diceret [dimittite eum; vt maledicat mihi: Dominus enim præcepit ei.] humiliauit seipsum publicanus (quanquàm ne animi quidē humilitas erat) sed tamen quàm modeste, & verecundè dicebat, quę dicebat? Extulit seipsum Pharisęus: sed, si libet, omissis personis res ipsas examinemus. Statuantur duo aliqui, ambo & diuitiis, & honoribus abundantes; ac tum sapientię, tum potentię, & cuiusuis alius in mundanis bonis præstantiæ nomine de se ipsis magnificè sentientes. deinde alter quidem honores ab omnibus petat, & nisi accipiat, irascatur, & plusquam opus est, exigat, ac seipsum extollat; alter vero totam rem despiciat; nemini hac de causa succenseat; delatumque sibi honorem repudiet. Vter, dic mihi, maior est, an qui honorem non accipit, quamuis petat; an qui delatos etiam despicit? perspicue hic, qui contemnit; & iure quidem. Gloriæ enim consequendę

Humilitatē esse quæ nos in altū euehat.

Ro. 16.

2. Re. 16.

Gloriā consequimur fugiendo.

alia ratio non est, quàm gloriam fugere. Quandiu enim ipsam persequimur; fugit nos; cum uerò eam fugimus; ipsa nos persequitur. Si uis in gloria esse; gloriam ne concupiscas: si uis celsus esse; ne te ipse in sublime efferas. Atq; alia etiam causa est; quamobrem homines colant honoris non appetentem; consectantem uerò auersentur. Insitum enim hoc quodammodo est hominum generi contentionis esse cupidum, & cum aliorum desideriis luctari. Itaque despiciamus gloriam: ita enim poterimus humiles fieri, vel potius celsi. Ne teipsum extollas; ut ab alio extollaris. Qui à se ipse extollitur; is ab aliis non extollitur: qui se ipsum deiicit; is ab aliis non deiicitur. Magnum arrogantia malum est. Satius est stolidum esse, quàm arrogãtem: nam ibi quidem stultitia sola mẽtis infirmitas, atque inopia est; hìc verò stultitia deterior est, & stultitia quidẽ cum furore coniuncta. Stolidus sibi ipsi nocet; arrogans uerò aliorum etiam pernities est. A dementia hic morbus procreatur: fieri minimè potest; ut quis de se magnos spiritus sumat; nisi stultus sit: qui uerò ualde stultus est; is arrogans quoque est. Audi sapientem quẽdam ita dicentem [Vidi hominem sapientem sibi videri: magis uero illo spem habet insipiens]. Vides non me temere dixisse grauius esse hoc malum stoliditate? [magis enim, inquit, illo spem habet insipiẽs]. Propterea Paulus etiam dicebat [Nolite esse prudentes apud uos metipsos]. In corporibus, dic mihi, quæ nam ualere dicimus? utrum ualde tumida, ac multo intus referta flatu, & aqua? an depressa, & contractam habentia superficiem? sine dubio hęc. Ergo & in anima idem euenit: quæ tumet; grauiorem hydrope morbum habet: quę vero depressa est; omni caret perturbatione. Quot igitur bona parit nobis animi humilitas? Quid quæris? non ne hinc ista existunt, malarum rerum esse tolerãtem, iracundiæ expertem, humanum, sobrium, attentum, atque alacrem? Hæc, inquam, omnia bona ab humilitate proficiscuntur; contraria uerò ab arrogantia. Nam, qui arrogans est; hunc & contumeliosum esse necesse est, & percussorem, & iracundum, & amarum, & tristem, omninoque feram

Prou. 26.

Rom. 12.

ram

ram potius, quàm hominem. Robustus es, ac superbis? Quin inde potius deprimi debueras? cur enim ex re, quæ nullius ponderis est, magnos tibi spiritus sumis? Etenim & leo te audacior est, & sus robustior; ac præ illis ne culex quidem es. Et latrones verò, & sacrilegi, & gladiatores, & famuli tui, fortasse uerò, & qui inter ipsos hębetiores sunt, te robore, & uiribus excellunt. Hoccine igitur laude dignum? ac non te ipsum præ pudore abdis; qui ideo superbias? At pulcher es, & in ætatis uigore. Cornicum hęc gloriatio est; nõ es pauone pulchrior, siue nitorem, siue pennas spectes: Pennę auis longe te vincunt, ipsa coma, ipso nitore. Atqui olor etiam ualde pulcher est, aliæque aues multæ: quibuscum si te contuleris; despicies plane te ipsum. Sępè verò, & uiles pueruli, & uirgines innuptę, & famosę mulieres, & molles homines hanc habent gloriationem. Hoccine igitur arrogantia dignum? Atenim diuitiis abundas? unde? quibus rebus abundans? auro, argento, lapillis pretiosis? Hæc & latronum gloriatio est, & sectorum, & eorum, qui metalla effodiunt. Ergo quod damnatis labor est; id tibi gloriandi causa erit? At ornatu nites? equos etiam licet cernere pulchrè ornatos. Apud Persas verò camelos etiam uideas mirificè comptos; inter homines autem eos omnes, qui ex scæna. Non pudet te has ob res magnos spiritus sumere, in quibus tecum communicant bruta animantia, & serui, & homicidæ, & molles, & latrones, & sepulchrorũ perfossores? At ędes extruis splendidas: Et quanti hoc? multi graculi splendidius habitant; & magnificentiora habent domicilia. An non uides ab his ipsis, qui diuitiis ita immoriuntur, ut insaniant, in agris, ac solitudine extructas domos, graculorum esse domicilia? At uocis gratia superbis? Olore & luscinia nunquam poteris canere suauius? at artium multitudine? Ecquid in his ape sapientius? Ecquis uariegandi artifex, ecquis pictor, ecquis architectus istius imitari opera poterit? At subtilitate uestis? Cæterum hìc te aranei vincunt. At uelocitate pedum? rursus primæ brutis animantibus deferendæ, lepori, damę: & quot iumẽta uelocitate pedum minimè vincuntur?

cuntur? At mutas sedes? uerùm nihilo plus auibus; hæ enim facilius peregrinantur, ac sedes mutant; non viatico, non iumentis egent: sed ad omnia illis ala satis est. hęc nauis est; hæc iumentum; hęc vehiculum, hæc ventus; & quidquid aliud postulari queat; at acutè cernis? verum non æque, atque caprea, aut aquila: at acutè audis? verumtamen asinus acutius. At bene olfacis? verùm canis minime se abs te vinci patitur: at parandi victus artificium tenes? verùm formicæ cedis: at aurum gestas? verum non item atque indicæ formicę: At sanitas te effert? multò melius brutis animantibus est; siue bonitatem habitus, siue parandarum rerum, quæ ad vitam faciunt, facultatem

Matt. 6. spectes: non illa paupertatem timent [Respicite enim inquit, volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea.] Ergo, inquies, bruta ipsa nobis prętantiora Deus condidit. Vides quanta sit inconsiderantia? vides, quàm negligenter res examinentur? vides, quantum illud sit, quod rerum ipsarum pondus examinatum nobis largitur? Ille qui præ omnibus hominibus magnos sibi spiritus sumebat; vel brutis ipsis vilior esse conuictus est. Sed nos ei parcamus; neque ipsum imitemur. Non enim, quoniam supra nostræ naturę conditionem de se magnificè sentit; deiectum illum infra brutorum ordinem iacere patiamur; sed inde ipsum extrahamus, atque euehamus, non quidem ipsius gratia (nam ille quidem qui huiusmodi cõditionem subeat, dignus est) sed vt Dei humanitas, honosq́ue ab eo nobis tributus demonstretur. Sunt enim, sunt omnino quædam; in quibus quidem nihil brutis animantibus nobiscum commune est. quæ nam hæc? pietas, & uita uirtuti congruens. Hìc non potes in medium adducere scortatores, non molles, non homicidas. Longe enim ab illis distamus. Quid uerò hoc est? Deum nouimus; ipsius prouidẽtiam agnoscimus; de immortalitate philosophamur. Hìc cedunt bruta: de huiusmodi rebus non hęsitantes sobriè sentimus: Hìc nihil brutis cõmune nobiscum est. Nam cum omnibus illis inferiores simus; iis tamen imperamus: nam in hoc extat imperii ma-

gnitudo

gnitudo; quòd ipsis inferiores regnum tamen in ipsa obtinemus; ut intelligas non te harum rerum esse causam; sed Deum, qui te condidit, & rationem largitus est: retia, & laqueos illis tendimus; in quos ipsa impellimus, & capimus: moderatio .n. nobis adest, æquitas, lenitas, pecuniarũ despicientia. Sed quoniã tu unus ex arrogãtibus es; nihilq; horum habes; merito uel prę omnibus hominibus magnificè de te sentis; uel prę omnibus brutis humiliter. Talis enim est arrogantia, & audacia: uel præter æquũ sese effert; uel itidem se deiicit, nusquã modum seruans. Hac quidem re æquales sumus Angelis; regnum nobis promissum est, & chorea cũ Christo. Qui uerè homo est; uapulat, & non succumbit; mortem despicit; non tremit; non metuit; non appetit plura. Quamobrẽ qui tales non sunt; brutis sunt deteriores. Quando enim rebus quidẽ ad corpus pertinentibus alios homines uincis, eximiis uerò, atq; excellentibus animi ornamẽtis cares; quomodo brutis non es deterior? Age enim in medium adducamus eorũ aliquem; qui cum vitio, qui minimè congruenter rationi, qui in delitiis, & immoderata rerum abundantia viuunt. Isto equus est pugnacior, sus robustior, lepus uelocior, pauo formosior, olor vocis suauitate pręstantior, elephas maior, aquila facultate cernendi acutior, omnes aues ditiores. Vnde igitur dignus es; qui brutis domineris? ex ratione? minimè id quidem. Quãdo enim illa, quò oportebat, non uteris; rursus illis es deterior. Quando enim ratione præditus minus quàm illa, congruenter rationi viuis; satius tibi erat neque initio factũ esse rationis cõpotem. Non enim idem est, cum principatum accęperis, illum prodere; atq; initio non accępisse. Regi satellitibus suis deteriori satius erat neq; purpura se induisse. Idẽ hac in re euenit: Intelligẽtes igitur vel brutis ipsis nos esse deteriores, nisi virtutẽ habeamus; huic exercẽdæ operã demus, ut homines fiamus, uel potius angeli; promissisq; bonis fruamur, quæ utinã nobis omnibus consequi liceat gratia, & humanitate Domini nostri Iesu Christi; cum quo patri, simulq; sancto spiritui gloria, imperium, honos nunc, & semper, & in secula seculorũ. Amen.

SERMO OCTAVVS.



TAQVE *charissimi mei, sicut semper obedistis, non in præsentia mei tantum, sed & multò magis nunc in absentia mea cum timore, & tremore uestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in uobis, & uelle, & operari pro bona uoluntate: omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, ut sitis sine quærela, & simplices; filij Dei sine repræhensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, uerbum uitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi.* Admonitiones laudationibus temperandę sunt. Nam hoc modo in bonam partem accipiuntur; cum eos, quos monemus, ad suam ipsorum imitationem prouocamus; quod nunc etiam Paulus fecit. Attende autem, qua ratione, & quàm prudenter. *Itaque charissimi mei, inquit*: non hoc nudè, atque absolutè dixit, obedite; sed postquam illos laudauit, atque ea uerba præmisit, *sicut semper obedistis*, idest hortor, atque obsecro uos; ut imitemini non alios, sed uos ipsos. *Non in præsentia mei tantum, sed multò magis in absentia mea*: cur multo magis in absentia mea? cur? tunc quidem fortasse uidebamini omnia facere pro uestra in me reuerentia, quòdque mihi honorē haberetis: nunc verò non ita. Quòd si nunc maiorem etiam animi contentionem, ac diligentiam ostenderitis; illud simul constabit, tunc quoque Dei causa, non mea uos adductos esse. Dic rogo Paule quid tibi uis? non ut me audiatis; sed ut cum timore, & tremore uestram ipsorum salutem operemini. Nefas enim est eum, qui sine timore uiuit, præclarū quippiam, & admirandum edere. Neque tantum dixit, *timore*, sed addidit, *& tremore*, qui maior quidam, & uehementior timor est; nimirum id studens, ut illos attentiores reddat. Hunc habebat timorem Paulus; propterea etiam dicebat.
1. Cor. 9. [Timeo, ne quomodo cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar]. Nam si quæ ad uitam hanc pertinent, sine timore rectè acquiri non possunt; multò minus spiritualia.
De utilitate timoris.

Cedò

Cedò enim,quis literas ſine timore didicit? quis artem tenuit ſine timore ? quòd ſi ubi non imminet Diabolus, ſed ſola negligentia impedimento eſt; tanto opus eſt labore, vt ſolam illam naturalem negligētiam uincamus; ubi tantum impendet bellum,tanta impedimenta;quì fieri vnquā poterit;ut ſine timore ſalutem conſequamur? ſed qua ratione hic in nobis excitabitur timor? ſi illud in animo habuerimus, ubique adeſſe Deum, omnia audire, omnia uidere nō ea ſolum, quæ fiunt, aut dicuntur, ſed etiam quęcunque in cordibus, & receſſu mentis latent [Diſcretor enim eſt cogitationum & intentionum cordis.] Si ita nos ipſos pręparauerimus; nihil cum improbitate coniunctum faciemus, nihil dicemus,nihil cogitabimus. Dic enim mihi, ſi tibi perpetuò in conſpectu Principis ſtandum eſſet; non ne cum timore ſtares? Et quì fit; ut cum Deo adſtes; rideas, & oſciteris; nec timeas, neque contremiſcas? Tolleratione illius per contemptum ne abutitor: Ideo enim cunctatur; ut te ad pœnitentiam adducat: neque cū quid vis tibi faciendum eſt, ſine hac cogitatione facere adducaris,omnibus factis intereſſè Deum. Intereſt enim omnino. Ergo ſiue comedas, ſiue dormitum eas, ſiue iraſcaris, ſiue rapias, ſiue in delitiis agas,ſiue quid uis aliud facias; crede intereſſe Deum; ac nunquam in riſum incides, nunquam ira accenderis. Si hanc perpetuo retinueris cogitationem; perpetuo in timore, ac tremore eris; quippe qui in cōſpectu regis adſtes. Aedificator, etiam ſi bene peritus ſit, ac bonus artifex,cum timore tamē, ac tremore ſtat,metuens, ne ab ædificio decidat. Ergo & tu, qui credidiſti,multa virtutis officia functus es, ad excelſum quēdam gradum perueniſti; te ipſum in tuto contine, & cum timore ſta, atque oculos aperi, ne inde decidas. Multa .n. ſunt ſpiritualia illa nequitiæ; quæ id ſtudent, ut te deiiciant. [Seruite,inquit, domino in timore, & exultate ei cū tremore.] Et quænam eſſe poteſt exultatio cum tremore? quin hæc ipſa ſola eſt exultatio. Nam cum aliquod uirtutis officium,ac tale omnino quippiam præſtiterimus, quale cōſentaneum eſt eos præſtare, qui tremorem in faciendo adhibent; tunc ſolum

Heb. 4.

Eph. 6.

Pſal. 2.

gaudemus. *Cum timore, & tremore ueſtram ſalutem operamini.* Non dixit tantum, ἐργάζεσθε, ſed κατεργάζεσθε: ideſt non quouis modo operamini, ſed accurate, magnoque cum ſtudio operamini. Quoniam uero dixit, *Cum timore, & tremore,* ac ſolicitudinem iniecit; uide, quomodo illam mitiget. Quid enim inquit? *Deus eſt, qui operatur in uobis.* Ne illud tibi metũ incutiat, quod dixi, *Cum timore, & tremore*: non .n. ideo dixi, vt deſperes; ut uirtutem rem huiuſmodi eſſe putes; quam cõſequi nullo pacto queas; ſed ut mentẽ adhibeas; ac ne te ipſum remittas, ac quaſi fatiſcas. Si hoc attuleris; Deus omnia operabitur. tu confidito. *Deus enim eſt, qui operatur in uobis.* Ergo ſi ipſe operatur; nos uoluntatem ipſam penitus obſecundantem, non remiſſam, ſed contentã, atq; in ſeſe collectam exhibeamus oportet. *Deus enim eſt, qui operatur in uobis & uelle, & operari.* Si Deus eſt, qui in nobis hoc operatur, ut uelimus; cur nos cohortaris? Nam ſi ipſe eſt, qui ut uelimus, facit, fruſtra nobis dicis, *obediſtis*: non enim nos ſumus; qui obedimus: fruſtra dicis, *in timore, et tremore.* Totum enim Dei eſt. Minimè uerò huc ſpectans, inquit, iſta uerba protuli, *Deus eſt, qui operatur & uelle, & operari,* ſed eò; ut ueſtram ſolicitudinem ſedarem. Si uolueris; tunc operabitur, ut uelis: nõ te iſte metus angat. Et propenſionem uoluntatis ipſe nobis dat, & operationẽ. Etenim vbi voluerimus; de cætero augebit propenſionem uoluntatis: veluti, uolo boni quippiã operari: hoc ipſum bonum ille operatur; & per hanc boni operationẽ operatur etiã velle. Aut ex abundãtia pietatis hoc inquit; quemadmodũ cũ noſtra rectè facta, chariſmata, ac dona appellat. Quemadmodum igitur illa nominans chariſmata nõ propterea nos deiicit de liberi arbitrii poſſeſſione; ſed hanc ipſam liberam, ac ſui iuris poteſtatem nobis permittit; ita cum inquit Deum eſſe, qui operatur in nobis uelle; minime nos libero arbitrio priuat; ſed oſtendit recte faciendo magnam nos acquirere propenſionem ad uolendum. Nam quemadmodum faciendo illud conſequimur, ut faciamus; ita non faciendo hoc comparatur, vt non faciamus: dediſti eleemoſynam? te ipſum magis incitaſti ad dandum. non dediſti? magis

Quomodo Deus operetur uelle.

magis te ad cessationem cōparasti. Temperasti tibi unum diem? habes incitamentum, ut & alterum temperes. temperare neglexisti? auxisti negligentiam. [Impius enim, inquit, cum in profundum uenerit peccatorum, cōtemnit.] Quemadmodum igitur, qui in malorum profundum descendit; contemnit, ac negligit; ita qui in profundum bonorum uenit; studiosè agit. Nam ut ille desperatione negligentior fit; ita hic bonorum copiam secum cogitās, diligentior fit, ne totum perdat, *pro bona uoluntate inquit*: idest propter charitatem; ut Deo placeatis; ut quæ illi probantur, quæque illius uoluntati consentanea sunt, fiant. Hoc loco ostendit, & fidere nos facit, fore omnino, ut Deus operetur. Vult enim nostram nos ad illius uoluntatem aggregare, atque ita ut vult, viuere. Quòd si Deus vult; illud autem quod vult, ipse operatur; certe hoc quoque operabitur, ac prestabit; ut rectè viuamus. Hoc enim vult. Vides à Paulo minimè tolli arbitrii libertatem? *hæc omnia, inquit, facite sine murmurationibus, & hæsitationibus*. Diabolus ubi nos abducere minimè potuerit; quin rectè faciamus; alia quadam ratione molitur inanem reddere mercedem nostram. Nam uel uanæ gloriæ amorem, uel arrogantiam induxit, uel si nihil horum, murmurationem, uel saltem hæsitationem. Ac vide; quomodo hæc purget Paulus. Dixit de animi humilitate, quecunque iam audiuistis, arrogantiam abigens; dixit de inanis gloriæ studio, comprimens tumorem, *Non in præsentia, inquit, mei tantum*: nunc uerò nonnulla addit de murmuratione, & hæsitatione. Ecquid uerò causæ est; quamobrem, cū Corinthiis adimeret hunc morbum, Israelitarum etiam mentionem fecit; hoc autem loco nihil huiusmodi attulit, sed simpliciter præcepit? nimirū quoniam illi ab hoc morbo iam fuerant occupati: quamobrē altius inferre vulnus necesse habebat, ac uehementius obiurgare: Hìc uerò, ne se occupari sinant, monet. Igitur erga eos, qui nondum peccarant, superuacuum erat durioribus uerbis uti; quò sibi cauerent. Nā & ad animi humilitatē adducens non attulit exemplū illud ex

Prou. 18.

1. Cor. 10.

Euangelio; ubi superborum supplicium narratur: sed ab exemplo Dei admonitionem duxit: ipsisque omnino, ut ingenuis loquitur, ut legitimis filiis, non ut famulis. Etenim ad uirtutem sequēdam is, qui bona & generosa mente præditus est, exemplo eorum, qui rectè se gesserunt, adducitur; is uerò, cui mala mens, ac malus animus; eorum exemplo, qui uirtutis munera non obiuerunt; ille honore, hic supplicio. Propterea ad Hebreos etiam scribens Esau in medium adduxit [qui propter unam escam uēdidit primitiua] & rursus, [si subtraxerit se, nō placebit animę meę] Atqui inter Corinthios quidē multi erant; qui scortati fuerant. Propterea dicebat [Ne iterum cū uenero ad uos; humiliet me Deus meus; & lugeam multos ex iis, qui antea peccauerunt; & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt]: *ut sitis, inquit, sine quærela, et simplices*: idest nulli repręhensioni obnoxii, puri, atque integri. Non enim leuem maculam imponit murmuratio. Quid autē significat, *sine hæsitationibus?* Vtrum bonū est, an minimè? ne in disputationem, inquit, rem adducatis; etiam si labor, etiam si molestia sit, quod proponitur. Non dixit, ut ne puniamini; quamquam isti etiam rei supplicium est propositum, quod in Epistola ad Corinthios indicauit: sed hìc nihil eiusmodi dixit, sed *ut sitis, inquit, sine quærela, & simplices, filij Dei sine reprehensione, in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo uerbum uitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi.*

Heb. 12. Heb. 10. ex Abac. 2 ubi uulgata habet [qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.] 2. Cor. 12.

MORALIS DIGRESSIO.

Aduersus murmuratores.



IDES hos a Paulo institui, nè obmurmurent: Est enim iniqui, ac stupidi serui obmurmurare. Ecquis enim dic mihi filius est; qui in bonis paternis, ac sibi ipse laborem capiens obmurmuret? Cogita, inquit, te tibi ipsi laborare, tibi ipsi colligere. Illorum uerò proprium est obmurmurare; qui aliis laborant, aliis sudant: Qui autem sibi ipse colligit,

ligit; cur obmurmurat? quòd ipsius diuitiæ nón crescunt? minimè id quidem. Qui sponte nulla imposita necessitate facit; cur obmurmurat? satius est nihil agere, quàm murmurando agere. Nam & hoc ipsum, quod fit, perit. An nõ vides in ipsis met domibus nostris hęc nobis semper in ore esse; satius est isthæc minimè fieri, quàm obmurmurando fieri? Ac sępè malumus ministerio, quod nobis exhibetur, carere, quàm murmurantem ferre. Grauis enim res, grauis est murmuratio; ac prope ad blasphemiã accedit: alioqui cur tantum de illis supplicii sumptum fuisset? uitium istud crimen ingrati animi est. Qui murmurat; ingratus est erga Deum: qui verò erga Deũ ingratus est; profectò blasphemus etiam est. Ac sanè eo maximè tempore cõtinentes tentationes erant, & contexta pericula: nulla dabatur requies, nulla cessatio: undique innumerabilia ingruebant mala: nunc uerò summa pax, ac tranquillitas. Cur igitur murmuras? quòd pauper es? Iob illum cogita: morbo laboras? Quid igitur faceres, si tantorum tibi bonorum, ac sanctus ille, rectorumq; factorum conscius in morbum incidisses? Rursus illum cogita. Ille quidẽ perdiu erat, cum vermes scaturire, in stercore sedere, scabiem fricare perseueraret. [Nam cum multum, inquit, temporis pręcessisset, dixit ad eum mulier: quousque uteris patientia ista, ac perges dicere; adhuc paulum quiddam temporis expecto? Dic verbũ aliquod ad dominum, ac morere.] At filius tibi obiit? quid igitur, si omnes amisisses, & acerba quidẽ morte; quemadmodum ille? Nostis enim, nostis, assidere ęgrotanti, os ori conferre, oculos claudere, contrectare genas, suprema audire uerba, quãtum solatii afferat: quorum nullo dignatus est iustus ille; sed omnes simul obruti occubuerũt. Et quid hæc dico? si ipse iussus esses filium tuum interimere, & immolare, & ardẽtem spectare, quemadmodum beatus ille Patriarcha; quid fecisses? Ille uerò & altare ædificabat; & ligna imponebat; & filium ligabat. At nonnulli sunt, qui te conuiciis consectentur? quid igitur tibi animi esset; si hęc eadem ab amicis, qui consolationis causa aduenissent, audires? Nam nunc quidẽ multa habemus pecca-

Iob. 2. Vbi uulgata hẽt [dixit autẽ illi uxor sua, &c.]

peccata;iureq; probris afficimur. Tunc uerò ille uerax,iustus,pius, qui se se ab omni crimine abstinebat, secus omnia ab amicis audiebat. Quid uerò, dic mihi, si mulierem *Ibidē, licet paulo aliter* exprobrantem audires, ac dicentem, [Ego quasi erratica quædam mulier, & famula locum ex loco, domum ex domo circumerrans, Solis aliquando occasum expectās; ut à doloribus me undique prementibus requiescam]: cur ista inquis ò stolida? Non enim harum rerum tibi causa est uir, sed diabolus. [Dic, inquit, uerbum aliquod aduersus dominum, & morere.] Ita ne? si decumbens hoc diceret; ac moreretur; tibi ne melius esset? Nō est morbus illo grauior; etiam si sexcentos afferas. Talis, ac tantus erat; ut ne domi quidem, ac sub tecto manere posset: talis erat; ut omnes ab eo deficerent. Non enim, si ullam admisisset medicinam; extra vrbem sedisset; deteriori conditione, quàm illi, qui elephantiasi laborāt. Nam isti quidē & domos subeunt & inter se congregantur. Ille uerò sub dio in stercore nudus pernoctabat; ac ne vestē quidē induere poterat; quo- *Iob 7. ubi uulg. [sordibus pulueris, etc.]* modo enim? quin etiam fortasse creuisset dolor. [Macero, inquit, glebas terrę saniem scalpens]: carnes ipsius saniem, ac vermes scaturiebant; idq; assidue? Sentis, quàm quisque nostrum hęc audiens horrescat? Quòd si ea sunt auditu intolerabilia; quanto magis perpessu? Ac tamen perpessus est iustus ille non unum, aut alterum diem, sed perdiu; nec *Iob. 1.* peccauit quicquā in labiis suis. Ecquem huiusmodi morbum potes mihi afferre? tot refertum doloribus? an nō iste *Ibidem c.6 ubi uulgata [quæ prius nolebat tangere, &c.]* cęcitate, ac membrorū mutilatione deterior erat? [Fętidos enim sentio cibos meos]: neq; hoc solū, sed neq; etiā, quę aliis solet recreationi esse, nox & somnus, huic quicquam solatii afferebat; sed quouis tormento grauior erat: idq; ex ipsius uerbis cognosce. *Ibidem. 7. licet paulo aliter.* [Cur terres me per somnia, & per visiones errore concutis? cum aduenit diluculum, dico, quando adueniet uespera?] ac tot, tantisque malis affectus non obmurmurauit. Neque verò id solum molesti inerat: sed etiam mala, quam multi de ipso concęperant, opinio. Nam ex calamitatibus, quæ illi acciderāt, sexcentorū iam criminum reum existimabant; quod & ei dicebant amici,

[mino-

[minora peccatis tuis flagella passus es]: quamobrem & ipse dicebat [& monent me infimi homines; quos canibus pastorum meorum minimè dignos existimassem.] Quot mortibus non erat istud grauius? Verumtamen tantis undique fluctibus pressus, ac tam sęua undiq; ingruente tempestate in mediis nubibus, procellis, fulminibus, turbinibus, ac vorticibus mansit ipse immotus, tanta, tamquè graui in tẽpestate, perinde atq; in placido quodã portu quietus sedens; neq; obmurmurauit. Atq; hęc ante gratię tempus; antequã de resurrectione, de geẽna, de pœna, de supplicio quicquam dictum esset. Nos verò, qui & Prophetas, & Apostolos, & Euangelistas audimus, & sexcenta cernimus exempla; atq; ea, quę resurrectionẽ nobis exploratissimã faciunt, didicimus; adhuc ęgrè ferimus; quãuis nemo sit, qui tot ac tãta sibi mala accidisse queat dicere. Nam tametsi quis pecunias amisit; at nõ tot filios, filiasq́; ; ac si amisit; fortasse propterea, quòd culpã admisit: Ille uerò repente in mediis sacrificiis, illo ipso tẽpore, dũ deseruiret, & cultum tribueret Deo: quòd si filios, ac diuitias simul tantas quod vix fieri potest; at non per totũ corpus ulceribus scatet, ac saniẽ effundit. Quòd si hoc quoque; at nõ insultãtes nactus est, atq; exprobrãtes; quod quidẽ omnium maximè nos pũgere cõsueuit; magisq; adeo, quàm calamitates ipsę. Etenim, si ubi in malis adsunt, qui nos cõsolentur, ac dolorem leniant, bonasq́; nobis spes iniiciant; tamẽ adeò frangimur, atq; animũ despõdemus; cogita quantũ illud fuerit, exprobrantes habere. Si illud, quod propheta cõquęrebatur, [sustinui, qui simul cõtristaretur, & nõ fuit: et qui cõsolaretur, & nõ inueni], graue, atq; intolerabile erat; quantum tandem mali erit pro cõsolantibus incidere in exprobrantes? [Consolatores, inquit, malorum omnes]. Si hæc assiduè uersassemus; si hæc essemus ratiocinati; nulla sanè pręsentium rerum dolore nos affecisset, in illum intuentes athletam, in adamantinam illam animam, in mentem illam æneam, & quæ frangi minimè posset: perinde quasi ac æreo, uel lapideo corpore circumdatus esset, ita omnia generosè, ac patienter ferebat. Hęc cogitantes, omnia

sine

Cap. 11. licet paulo aliter.

Ca. 30. ubi uulg. [quæ non dignabar, &c.]

Psal. 68.

Iob 16. ubi uulg. [consolatores onerosi omnes.]

sine murmurationibus, atque hæsitationibus faciamus. Boni quippiam facis, ac murmuras? cur? num forte impossita tibi necessitas est? Noui, inquit Paulus, multos, qui circum vos sunt, uos penè cogere, ut murmuretis. Hoc enim significat illis uerbis, *in medio nationis prauæ & peruersæ*. At hoc demum admirabile est, neq; etiam cum pungaris, atque impellaris, eò adduci. Nam & Sydera in nocte fulgent, in tenebris emicant; tantumque abest, ut ullam pulchritudinis suę iacturam faciant; ut splendidiora etiam appareant: ubi enim lux aduenerit; non æquè apparent. Ita etiam tu, si inter peruersos homines, rectus manseris; lucebis magis; longeque admirabilius erit, sine reprehensione esse. Ergo ne hoc afferant; occupans ipse id attulit. Quid est *uerbum uitæ continentes*? idest, qui ad uitam uenturi estis; qui ex numero eorum estis, qui salutem consequuntur. Vide, quàm continuo subiecerit premia: luminaria, inquit, λόγον, idest rationem, ac facultatem lucis continent: vos λόγον, idest uerbum uitæ in uobis habetis: hoc uocat verbum uitę. Ergo cæteri omnes mortui. Id enim uerbis istis indicauit: alioquin & alii verbum uitæ continuissent. *ad gloriam inquit meam.* Quid hoc est? Et ego uerò, inquit, particeps sum uestrorum bonorum. Tanta est uestra uirtus; vt non solum salutem det uobis; sed me etiam clarum faciat. Quæ nam gloria ò beate Paule? flagellis cęderis, expelleris, contumeliis afficeris nostra causa: propterea inquit, *in diem Christi quia non in uacuum cucurri; neque in uacuum laboraui*; sed semper est; unde glorier me non non frustra cucurrisse: *sed et si immolor*: non dixit, etiam si moriar; quemadmodum neq; ad Timotheum scribens. Nam & ibi eadem
2. *Tim.* 4. eloquutione utitur, ita dicens, *Ego enim iam immolor*, partim consolans illos de sua ipsius morte, partim cōdocefaciens mortem pro Christo moderatè ferre. Victima inquit quædam, & hostia euado: ò beatam animam. Hostiam uocat introductionem illorum. Multò satius immolare animam, quàm bouem immolare. Quapropter si in hoc sacrificio me ipsum tradidero, inquit, quasi uictimam; gaudeo, inquit, mea morte. Hoc enim ista uerba significant, *supra sacrificium*,

ficium, & obsequium fidei uestræ; gaudeo, & congratulor omnibus uobis. Id ipsum autem, & uos gaudete; & congratulamini mihi. Quid congratularis? uides quomodo ostendat gaudendum illis esse. Gaudeo igitur, inquit, me uictimam fieri; congratulor autem me ita uictimam fieri; ut simul quoque sacrificium offeram. *Id ipsum autem & uos gaudete, & congratulamini mihi,* quòd oblatus sum. Cõgratulamini, inquit, mihi mea ipsius morte gaudenti. Nõ igitur lachrymis dignus est iustorum obitus, sed lętitia. Si ipsi gaudent; gaudendum cum ipsis est. Absurdum enim fuerit gaudentibus illis nos lugere: sed consuetudinem requirimus, inquit. Commenta isthęc sunt, & prætextus. Vide, quid Paulus admoneat Philippenses, *gaudete, & congratulamini mihi:* consuetudinem requiris? si tibi quidem ipsi hìc manendum sit; rectè dicis: sin autem paulo post ad illum qui abiit, peruẽturus es; quam requiris consuetudinem? Ille enim merito requirat; qui ita ab aliquo diuellitur; ut perpetuo sit absuturus. Sed si idem tibi iter conficiendum est; quam cõsuetudinem requiris? Eos, qui peregrè absunt, cur non lugemus? non ne paucis emissis lachrymis confestim post vnum, aut alterum diem à fletu cessamus? si consuetudinem requiris; tantum dumtaxat fleto; quãtum satis sit ad ostendendum, te naturà hominem esse: deinde uerò gaude; quemadmodum Paulus; qui ita dicebat; nihil mihi molesti accidit; sed etiã gaudeo ad Christum abiens, *& uos gaudete, inquit, et congratulamini mihi.* Gaudeamus igitur & nos cum iustum viderimus interiisse; vel potius quando aliquem etiam ex desperatis. Nam ille quidem discedit, laborum suorum mercedẽ accępturus; hic uerò quippiam de peccatorum suorum numero detraxit. Sed fortasse, inquit, uiuens vitam mutasset suam. At non illum rapuisset Deus; si uitam ille mutaturus fuisset. Etenim qui omnia pro salute nostra facit, ac disponit; cur non eum siuisset uiuere, qui aliquando talis futurus esset, vt placeret? si sinit eos, qui non conuertuntur; multo magis eos, qui conuertuntur. Vndiq; igitur fletus nobis amputatus sit; undique lamenta sublata. Quęcunq; eueniant; de omnibus gratias agamus Deo; omnia sine murmura-

Non est lachrimis dignus iustorum obitus.

Nec desperatorũ mors lugenda.

tionibus faciamus: lętemur, atque in omnibus illi placeamus; ut futura ętiam consequamur bona in Christo domino nostro; cum quo patri, simulq; sancto spiritui gloria &c.

SERMO NONVS.



PERO *autem in domino Iesu Timotheum me citò mittere ad uos; ut & ego bono animo sim cognitis, quæ circa uos sunt. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro uobis solicitus futurus sit; omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.* Dixit quæ sibi euenerant, ad Euangelii progressum conduxisse [ita ut uincula mea manifesta fierent in omni prætorio.] Addidit illa, [sed etsi immolor supra sacrificium, & obsequium fidei uestrę;] ipsosque per hæc cõfirmauit. Sed forte suspicari poterant priora ista consolationis causa esse dicta. Quid igitur facit? & quomodo suspicionem adimit? Timotheum, inquit, mitto ad uos. Auebant enim de Paulo omnia cognoscere: cur uerò nõ dixit, ut mea cognoscatis, sed, ut ego cognoscam uestra? quoniam Pauli res Epaphroditus ante Timoth. nunciaturus erat: quamobrẽ progrediens inquit, [necessarium autẽ existimaui Epaphroditum fratrẽ mittere ad uos,] sed uestra, inquit, cognoscere cupio. Verisimile enim est diu illum mansisse apud Paulũ ob corporis imbeccillitatem. Quamobrem necessariò, inquit, uestra cupio cognoscere. Vide autẽ, quàm omnia ad Christũ referat, & ipsam quoque Timothei missionem, ita dicens, *spero autẽ in Domino Iesu*, idest confido, ut hoc mihi Deus gratificetur, idque mihi ex sententia succedat. *Vt, & ego bono animo sim, cognitis, quæ circa uos sunt.* Quemadmodum, inquit, recreaui uos; dum ea audiuistis, quæ de me precati estis; nimirum Euangeliũ progressus fecisse, dedecus in illos recidisse; unde mihi nocere putabant, inde lætitiam attulisse; ita cupio de rerum uestrarum statu cognoscere. *Vt & ego bono animo sim, cognitis, quæ circa uos sunt.* His uerbis ostendit gaudere illos debuisse de uinculis, eaque subsequi:

Multum

Multum enim sibi voluptatis attulisse. Nam illud. *Vt & ego bono animo sim*, hoc significat, quemadmodũ uos. En quanto Macedoniam amore complectebatur. Idem vero Thessalonicensibus quoque dicit; ut eo loco. Nos autem desolati à uobis ad tempus horę] :hìc, spero, inquit, Timotheũ mittere, ut de rerum uestrarũ statu cognoscam; quod quidem maximam indicabat curam. Quando enim ipse adesse non poterat; discipulos mittebat: ita res illorũ sibi ignotas esse ne ad breue quidẽ tempus ferre poterat. Non enim spiritu omnia cognoscebat; idq; iure fiebat. Etenim si hoc sibi discipuli persuasissent; impudentes facti essent: nunc verò cum sperarent latere; facilius corrigebãtur. Hoc ipso verò illos potissimum attentos reddit; quòd inquit. *Vt & ego bono animo sim*, illorumque studium, ac diligentiam acuit; perinde ac tametsi Timotheus minimè uenerit, aliũ tamen inuenturus sit, qui ipsi renunciet. Hac autem ipse etiam ratione perspicuè usus est; suumq́ue aduentum distulit; ut Corinthii conuerterentur. Propterea etiam scribebat [parcens uobis nondũ ueni Corinthum.] Non enim hoc solo ostenditur charitas; quòd sua nunciat; sed ètiam, quòd de illorum statu cupit cognoscere. Hoc enim animę est ualde curantis, & satagentis, & in perpetua quadam solicitudine uersantis. Simul verò, & honore illos afficit Timotheum mittens. Quid ais? Timotheũ mittis? quapropter? sanè inquit, *neminem enim habeo unanimem*, idest, qui ęque atq́ue ego uestra curet, *qui sincera affectione pro uobis solicitus futurus sit:* neminem ergo secum habebat, qui eundem, atque ipse animum gereret; idest, qui æque, atque ego uos curet, uobisq́ue consulat. Non facile, inquit, quispiam inueniatur, qui hac de causa tantum itineris uelit conficere: Qui æque, atque ego, uos amat, Timotheus est. Erant autem & alii, quos mitterem; sed nemo talis est. Ergo hoc est, unanimem esse; discipulos item, atque ipse, amare. *Qui sincera, inquit, affectione pro uobis solicitus futurus sit*, idest paterna. *Omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ* IESV CHRISTI, id est iucunditatem suam, ac securitatem: quod etiam ad Timotheum scribebat. Sed

1. Thess. 2.

1. Cor. 2.

cur isthęc conqueritur? nos cōdocefaciens, dum hæc audimus, ne eòdem prolabamur; condocefaciens auditores, ne oblectationem, ac requietem quærant. Nam qui requietem quærit; nō quę Christi sunt, sed sua quęrit: oportet enim paratos nos esse ad quemuis laborē, ad quamuis miseriam subeundam: *experimentum autem, inquit, eius cognoscite; quia sicut patri filius mecum seruiuit in Euangelium.* Ne id à me temere dici puteris; uos quoque, inquit, hoc scitis; illum mihi item, ut patri filium, in Euangelium seruisse. Meritò hìc Timotheum commendat; ut apud illos magno in honore habeatur. Hoc etiam ad Corinthios scribēs facit istis uerbis, [ne quis illum spernat: opus enim Domini operatur; sicut & ego.] non tam illi prospiciens; quàm iis, qui ipsum recipiunt; ut magnam reportent mercedem. *Hunc igitur, inquit, spero mittere, mox ut uidero, quæ circa me sunt:* idest vbi uidero; quis sit status rerum mearum, quemque sint exitum habiturę. *Confido autem in domino, quoniam et ipse ueniam ad uos citò.* Non propterea illum mitto; quòd ipse uenturus non sim; sed, *ut bono animò sim cognitis, quæ circa uos;* ut ne interea etiam uerser in uestrarum rerum ignoratione. *Confido autem, inquit, in domino,* idest, si Deus uoluerit. Vide, quàm ille omnibus in rebus de Deo pendeat. Nihil ex sua sentētia pronunciat. *Necessarium autem existimaui Epaphroditū fratrem, & commilitonem meum.* Et hunc rursus iisdem, ac Timotheum encomiis ornatum mittit. Illum enim duobus his nominibus commendauit; quòd & eos amat, (dixit enim, *qui sincera affectione pro uobis futurus sit*), & quòd in Euāgelio ualdè se probauit: hūc igitur & iisdem nominibus laudat: quomodo? quoniam appellare fratrem, & cooperatorem, neque hoc contentum addere etiam commilitonem, ostendentis est illi quoque secum communia fuisse pericula, atque eadem de illo, ac de se ipso testificantis. Quod inquit *Commilitonem*, plus est, quàm *cooperatorem.* Non nemo enim fortasse fuerit; qui in leuibus quidem negotiis socium se agendi præbeat; in bello autem, ac periculis nō item. Dum uerò dixit, *commilitonem*, hoc quoque significauit: *uestrum autem, inquit, Apostolum, & ministrum necessitatis meæ mittere ad uos*, id est uestra

1. Cor. 6.

uestra uobis donamus; dum uel uestrum hominem ad uos mittimus; uel eum qui uos docet. Rursus multa de illius charitate subiicit dicens, *quoniam quidem omnes uos desiderabat, & moestus erat; propterea quòd audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus est usque ad mortem; sed Deus misertus est eius; non solum autem eius, uerùm etiam et mei; ne tristitiam super tristitiam haberem.* Hoc loco, & aliud quiddam agit; ostendens, Epaphrodito etiam ualdè exploratum esse, amari à uobis: Hoc uerò non parum ad amãdum solet allicere: quomodo? ęgrotauit inquit, & conualuit, & uos mœrore liberauit, quem ex ipsius inualetudine capiebatis: nec tamẽ propterea ipse męrere desiit; sed dolebat nõ se, cum conualuisset, uos uidisse. Hìc & aliud agit, ad sui defensionem causam afferens; quamobrem serius ad illos mittat: Non enim id ex negligentia fieri; sed Timotheum quidẽ à se retineri; quoniam neminem habeat; (*Neminem enim, inquit, habeo unanimem*) Epaphroditum uerò ob inualetudinem. Deinde ostẽdens longam, ac diuturnam fuisse; addidit. *Nam & infirmatus est usque ad mortem.* Vides quantum studii adhibeat Paulus; ne discipulis suis quicquam loci se ullius negligentiæ, ac socordię insimulandi relinquat; neq; suspicandi, ideo, quòd ipsos contemneret, non profectũ esse? Nulla enim re ęque allici discipulus potest; ac persuasione hac, curę se esse pręceptori, suaque causa illum mœrere; quod exuberãtis charitatis est. *Audieratis, inquit, illum infirmatum: nam et infirmatus est usque ad mortem.* Ac ne putes ista mihi per simulationem dici, audi sequentia. *Sed Deus misertus est eius.* Quid ais hęretice? Hoc loco misericordiam Dei uocat, retinere illum, qui abiturus erat & ad uitam reuocare. Quòd si mundus esset in malis; nõ hæc misericordia esset relinquere in malo. Cęterum aduersus hæreticum quidem facile est dicere; erga Christianũ autem quid dicimus? Nam hìc fortasse hęsitabit, ac dicet; Quid? si dissolui, & esse cũ Christo multo præstabilius; cur inquit ipsum misericordiam esse consequutum? Ego verò dicam; Quid est, quod ipse inquit, magis necessarium esse manere propter uos? Nam quemadmodum Paulo hoc necessarium erat; ita & Epaphrodito; quippe

Philip. 1.

quippe qui amplioribus cum diuitiis, maioreq; fidentia, ac securitate ad Deum abiturus esset. Etenim illud quidem etiã si paululum differetur; futurũ tamen omnino erat: lucrari verò animas, postquam illhuc abiisset, non poterat. Huc accedit, Paulum multa ex communi audientium sensu proferre; neque ubique philosophari. Ad mundanos enim homines sermo ipsi erat institutus, mortem adhuc timentes. Præterea ostendit, quanti Epaphroditum faceret: hincq; illi reuerentiam quamdã conciliat; ut pote cuius salutem adeo sibi utilem esse testetur; ut secum quoq; ex illius incolumitate misericorditer actum putet. Præterea uerò, ut hoc mittamus, bonum est præsens uita. Nam nisi bonum esset; cur loco suppliciorum numeraret immaturas mortes? quemadmodum ubi inquit, [ideo inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi] Futura enim uita non prestat bonitate ei, quæ mala est (cæteroqui bona minimè esset) sed ei, quæ bona: itaque excellit melior bonam. *Ne tristitiam, inquit, super tristitiam haberem*, ne ad mœrorem, quem ex ipsius inualetudine capiebam, accederet mœror ex morte. Ita quanti Epaphroditum faciat, ostendit. *Festinantius ergo misi illum*, quid est σπουδαιοτέρως? idest festinantius, sine cunctatione, nulla interposita mota, iubens omnia, quæcunque obstent, uincentem quàm citissimè ad uos uenire; ut mœrore liberet. Non enim si eos, quos amamus, ualere audiamus; æquè lætamur, ac si videamus: maximeq̀ue si id præter spem eueniat; quemadmodum tunc in Epaphrodito euenerat, *Festinantius ergo, inquit, misi illum: ut uiso eo gaudeatis; & ego magis sine tristitia sim*. Quomodo magis sine tristitia? quoniam si uos gaudetis; & ego gaudebo; hic ipse de nostra uoluptate gaudebit; & ego à mœrore liberior ero. Neque dixit, *sine tristitia*, sed *magis sine tristitia*, ut ostendat nunquam animam suam mœrore uacuam esse. Qui enim ita dicit, [Quis infirmatur; & ego non infirmor? quis scandalizatur &, ego non uror?] quomodo sine mœrore & tristitia sit? Ergo mœrorem, inquit, istum deponam. *Excipite itaque illum in domino cum omni gaudio* [in domino, quod idem est ac spiritaliter; idest magno

Paulus auditorum captui se accommodat.

1. Cor. 11.

2. Cor. 11.

gno cum studio; uel potius hoc significat, tamquàm à domino missum, id est Deo uolente; itaque illum excipite pro sanctorum dignitate, ut sanctos excipi par est. *Cum omni, inquit, gaudio*. Hæc omnia pro iis facit; ad quos mittit: Maius enim facit lucrum, qui beneficium dat, quàm qui accipit. *Et eiusmodi homines cum honore habetote*, idest excipite illum pro eo, ac merentur sancti. *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam: ut impleret id, quod ex uobis deerat erga meum obsequium*. Hic communiter à Philippensium ciuitate missus fuerat; qui Paulo ministraret; aut fortasse etiam ideo uenerat, ut quippiam afferret. Allatas enim ab illo esse pecunias, in extrema Epistola ostendit his uerbis, [acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis.] Verisimile igitur est illum cum Romam peruenisset, Paulum in magno hoc, grauique periculo reperisse; ut qui adire illum uellent, ipsi quoque minimè tuto id possent facere; sed suo periculo accederent; quod euenire maximè consueuit magna commota tempestate, atque ubi Regum ira maiorem in modum efferuescit. Etenim cum quis, quòd in Regis offensionem incurrerit, in carcerem detruditur, arctæque custodiæ traditur; tunc vel famuli ipsi aditu prohibentur; quod quidem Paulo tunc accidisse uerisimile est; Epaphroditum uero magno, atque excelso animo uirum omnia contempsisse pericula, ut Paulum adiret, eique ministraret; atque omnia, quæ opus erant, faceret. Duo igitur affert Paulus, ex quibus illi autoritatem, ac reuerentiam conciliat; Vnum quidem, ubi dicit, ad mortem usque mea causa periclitatum esse; alterum uerò, quòd personam ciuitatis gerens hæc perpessus fuerit; ut in periculo illo iis, qui miserant, merces deberetur; perinde ac si ciuitas legatum misisset. Ergo excipere illum cum quodam obsequio, eique gratias agere de officiis suis, ratio quædam erit; qua pericula, & facta nostra magis adhuc communia uobis facietis. Neque dixit, mea causa; sed orationi addens autoritatem, ac fidem, inquit, *propter opus Dei*. Non enim

mea

mea causa facit; sed propter Deum, *usque ad morte... accessit*. Quid enim? tametsi minimè obiit, Deo id gubernante; ipse tamen nullam uitæ suę rationē habuit; ac tradidit se ipsum; ut quicquid subeundum fuisset; non ideo tamen à præstando mihi ministerio fuerit cessaturus. Quòd si ut Paulo ministraret, se ipsum morti exposuit; multò magis pro Euangelio id subiisset: imo verò pro Paulo mori, idem erat, ac pro Euangelio. Licet enim, non tantum ne idolis sacrifices, martyrii coronā consequi; sed huiusmodi etiam occasiones martyrium faciunt; ac si admirabile quiddam dicendum est, magis hæ, quàm illæ. Nam qui minore de causa mortem subire audet; multò magis audebit; ubi res maior agatur. Quamobrē & nos, cum sanctos in periculis uersari viderimus; uitę ne parcamus. Nefas enim est eum, qui nihil cum periculo experiri audet, præclari quippiam facere; sed necesse est pręsentis uitę securitati cōsulentem amittere futuram: *ut impleret, inquit, id, quod ex uobis deerat erga meum obsequiū*. Quid hoc est? non aderat ciuitas; sed per illum omni erga me officio, ac ministerio functa est; nimirum quòd illum misit. Quicquid igitur uestri ministerii mihi deerat; id ipse expleuit; ut hac etiam ratione dignissimus sit; qui multum honoris reportet: quoniam, quod omnes facere oportebat, hoc ipse pro uobis præstitit: atq; ostēdit Paulus priora quoq; officia ab ipsis, qui in tuto erant, exhibita periclitātibus, esse λειτουργίαν idest obsequiū, & ministeriū quasi pro publico munere debitum. Nam hęc uerba, *id quod ex uobis deerat erga obsequium*, indicāt respectum quendam ad prius illud obsequium, & ministerium. Vides sensum animi, ac spiritum Apostolicum? is uerò non ex arrogantia proficiscebatur, sed ex magna, quā illorum gerebat, cura. Etenim ne efferātur; sed modestiam tueantur, neque magnum quiddam se præbuisse existiment; sed ad humilitatem adducantur; officium illud his uocibus appellat λειτουργίαν, & ὑστέρημα, idest debitum ministerium, & id quod deerat.

Multæ occasiones martyrij.

MORA-

MORALIS DIGRESSIO.

RGO neque nos magnos spiritus sumamus, cum sanctis aliquid præbemus; neque hac re nos illis beneficium putemus dare. A nobis enim id debetur; nec quicquã illis donamus. Nam quemadmodũ iis, qui in exercitu sunt, ac bellum gerunt, ab iis, qui domi in pace uiuunt, debentur cibaria, & quicquid illis necessarium est in sumptum (illi enim pro his in acie stant); ita hac in causa. Quis enim Paulum, nisi docendi munus obiuisset, coniecisset in carcerem? quamobrem ministrare sanctis oportet. Quì enim non absurdum sit, ei, qui terreno Imperatori militat, omnia suppeditare, & uestimenta & cibaria non solum quantum necessitas postulat, sed etiam plusquã satis est; ei uerò, qui militat cœlesti Imperatori, atque in acie stat aduersus hostes longe grauiores ([quoniam non est colluctatio nobis, inquit, aduersus sanguinem, & carnem]) neque necessaria etiã suppeditare? cuius hoc iniquitatis est? quantum hoc ingrati animi uitium, & minuti, atque angusti? Cęterum, quãtum uideo, plus apud nos hominum metus potest, quàm geennę, & futurorum suppliciorum. Propterea sanè omnia contra quam deceat, se habent: ut ciuilia quidem negocia singulo quoque die diligentissimè administrentur; neque illa unquam omitti uideas; spiritalium verò nulla nobis ratio habeatur. Ita, quę necessitate nobis imposita, ac tormentis propositis, omninoque tanquam à seruis, & inuitis exiguntur; magna præstantur cum alacritate: quæ uerò à libẽtibus, atque ut à liberis; omnia omittuntur. Non hęc in omnes dico; sed in eos, qui huiusmodi sumptus facere recusant. An non poterat Deus necessitatem faciendi imponere? at nõ vult: nobis enim magis consulit, quàm iis, qui aluntur. Ideo nõ vult isthęc nos ex necessitate facere; quoniã nulla nos maneret merces. Ac tamen multi eorum, qui hìc sunt, Iudęis sunt inferiores, ac

Cum sanctis quippiã damus, debitũ reddi, non donari.

Eph. 6.

In eos, qui de sacerdotibus detrabunt.

viliores. Cogita, quot erant, quæ à Iudæis dabantur; decimę, primitiæ; rursus decimæ, & rursus alię decimę, & rursus aliæ decimætertiæ, & siclum: nec quisquam erat, qui diceret, sacerdotes multa deuorare. Quanto illi plura accipiunt; tāto etiam tibi amplior merces: nō dicebant; multa sumunt; uentri indulgent: quę nunc quosdam dicentes audio. Atque isti quidem, qui domos ædificant, atq; agros emunt; nihil putant se habere: quòd si sacerdos quispiam paulò splendidiore ueste indutus fuerit, aut necessario alimento non egeat, aut famulum ideo habeat, ne ipse cogatur à decoro discedere; statim hoc illi diuitias nominãt. Verè diuitiis abundamus; idque isti uel inuiti fatētur. Nos enim etiam si pauca habeamus; abūdamus diuitiis: illi verò etiam si omnia colligant, sibiq́ue comparent; inopia laborant. Quousque dementes erimus? Non satis uobis uidetur ad supplicium uobis comparandum, quòd nullum opus editis; nisi damnum præterea illud uobis contrahatis, quod de aliis detrahendo fit? Etenim si tu etiam esses, qui ea quę habet, sacerdoti dedisses; tamen eo ipso mercedem perdidisses; quòd ea in crimē uocares, quę tu ipse dedisses: Omninoque, si tu dedisti, quid criminaris? Atq; antea quidem pauperem illum fuisse testaris; dum ita inquis: quæ habet, ego dedi. Quid ergo criminaris? dandum minimè fuerat; si eras in crimen uocaturus. At cum alter dedit; ista dicis. Grauius sanè delictū; cum tu minimè dederis, alterius benefacta criminari. Quantam illos mercedem manere putas; qui isthęc æquo animo audiunt? Dei enim causa hęc patiuntur. Quid ita? Poterant, si uoluissent, caupones fieri; tametsi nihil illis à maioribus relictū esset. Nã & hæc multos impudēter dicentes audio; si quãdo nos ita dicimus; hic, uel ille pauper est. Poterat, inquiunt, si uoluisset, ad diuitias peruenire: deinde contumelias addunt; pater istius, auus, abauus tales fuerunt; hic uerò nunc tali ueste indutus est. Sed quid? dic mihi: nudum ne illū circumire oportuit? Ergo ista quidē tu subtiliter, atq; exiliter ad calculos reuocas: sed uide, ne cōtra te ipsum hęc dicas; atque audi illam Christi admonitionem [nolite iudicare, &

Matt. 7.

non

non iudicabimini.] Poterat igitur, si uoluisset, cauponariam, ac mercaturam exercere; omninoque non eguisset; sed noluit. Quid igitur, inquis, hìc rem quærit? dic mihi, num sericis induitur uestibus? num sectatorum multitudinem per forum incedens circumducit? num equo uehitur? num ædes extruit, habens, ubi habitet? si hęc facit; ego etiam repręhēdo, neq; illi parco, sed sacerdotio indignum esse affirmo. Nam quomodo monere alios poterit, ne rebus istis inutilibus vacēt; qui se ipsum monere nō potest? Sin autem rebus tantum ad uitam necessariis non eget; hoc ipso crimen iniustitiæ in ipsum intendis? At ipsum circumire oportebat, & poscere? Nec quicquam te ò discipule puderet? ac si carnalis pater id faciat, dedecus magnum putes; sin spiritalis eò descendere cogatur; non erubescas, neque te in tenebras abdendum putes? [dedecus enim, inquit, filiorum pater sine honore.] Quid ergo? pereundum illi fame fuerat? uerum neque hoc pii hominis est, neque enim probatur Deo. Cæterum quando hęc aduersus istos afferimus; quid subito philosophātur? scriptum est, inquiunt, [Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas, neque æs in zonis uestris, neque uirgam.] Hi uerò terna, & quaterna habent uestimenta, & lectos constratos. Hei mihi cogor ego nunc suspirare; ac nisi mihi decorum tuendum esset, multas etiam profunderem lachrymas: cur? quoniam in aliorum quidem festucas adeò diligenter, ac subtiliter inquirimus; nostras uerò trabes, quas in oculis habemus, ne sentimus quidem. Dic mihi; cur isthæc tibi ipsi non dicis? quoniam hoc, inquit, magistris duntaxat præceptum est. Ergo cum Paulus, inquit, [Habentes alimenta, & quibus tegamur; his contenti simus,] ad solos magistros verba facit? minimè; sed ad omnes homines: idquè satis constabit; si à capite locum illum inspexerimus. Nam cum dixisset, [est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia,] ac deinde addidisset, [nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid possumus,] continuò tunc ista subiunxit.

Eccl. 3. et uidetur textus Chrys. magis concordare cū latina quàm cum græca uulgata. Matt. 10.

1. Tim. 6.

[habentes autem alimenta, & quibus tegamur: his cōtenti simus. Qui autem uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, & desideria multa stulta, & nociua.] Vides ad omnes orationem haberi? Quid uerò, cum rursus
Rom. 13. inquit, [carnis curam ne feceritis in desideriis], nō ne om-
1. Cor. 6. nibus generatim loquitur? Quid uerò, cum inquit? [Esca ventri, & uenter escis; Deus autem & hūc, & has destruet.]
1. Tim. 5. Quid uerò, ubi inquit? [quæ in deliciis est, uiuens mortua est] de uidua loquens? num fortasse & vidua magister est?
1. Tim. 2. An non ipse fuit, qui ita dixit? [docere autem mulieri non permitto, neque dominari in uirum.] Quòd si uidua, ubi & ætas senilis (senectus enim magno eget obsequio) & natura ipsa (muliebre enim genus maiore eget solatio, quippe quod infirmum est): igitur, si ubi ætas, & natura obstabat; minimè tamen illam sinit delicatè, & molliter uiuere, sed etiam mortuam esse inquit (nō enim tantum di-
1. Tim. 5. xit; ne delicate uiuat; sed [quæ in deliciis est, uiuens mortua est]) eamq; è medio remouit (nam quę mortua est, è medio sublata est); quam ueniam habebit homo ea faciēs, quorum causa mulier uetula punitur? Verum hæc nemo ne cogitare quidem aggreditur: hęc nemo examinat. Ego verò ista dicere coactus sum; non sane id agēs, ut sacerdotes criminibus liberem; sed ut uobis consulam. Nam illi quidem, si cum pecuniæ operam dent, iure ac merito ista audiunt; nullum à uobis detrimentum reportant: sed siue dixeritis, siue tacueritis; rationem illhìc iudici reddent: quamobrem nihil illis uestra nocent uerba. Sin autem falso à uobis dicuntur; illi quidem lucrum etiam reportant, sine causa contumeliis affecti: uos uerò uobis ipsis hinc damnum infertis. De uobis uerò non ita res habet: sed siue uera, siue falsa sint, quæ aduersus illos: hoc ipso, quòd illis maledicitis, uos ipsos lęditis: quid ita? quoniam si uera quidem fuerint; uobis nihilominus nocetis iudicium de magistris ferentes, & ordinem disturbantes: nam si de fratre iudicare nō oportet; multo minus de magistro. Sin autem falsa; intolerabile omnino supplicium, ac pœna. De omni enim uerbo otioso rationem reddetis. Quamobrem vestra

vestra causa omnia facimus,ac laboramus. Cęterum,quod dicebam,nemo hęc examinat: nemo in his curiosè satagit: nemo quicquam horum sibi ipsi dicit. Vultis & alia addã? [Omnis ex uobis, qui nõ renunciat, inquit Christus, omnibus, quæ possidet, non est me dignus.] Quid uerò, ubi inquit? [difficile est diuitem intrare in regnum cęlorum.] Quid uerò cum inquit? [væ uobis diuitibus, quia habetis consolationem uestram]. Nemo hoc perpendit,nemo cogitat, nemo secum ipse rationes subducit; sed tantũ in res alienas uehemẽtes sumus. At hoc nihil aliud est; quàm participes criminũ fieri. Verum,ut præterea uestra causa,quibus criminibus affines esse sacerdotes dicitis, ea diluã, audite. Hanc enim de illis opinionem induisse, nimirum illos violare legem Dei,non leue habet ad improbitatẽ momentum. Age igitur, & illa expendamus. Dixit Christus [nolite possidere aurum,neque argentum, neque duas tunicas,neque calceamenta, non zonam,non uirgam.] Quid igitur? dic mihi. Nũ Petrus contra præceptũ faciebat? quomodo enim non; cum & zonam haberet, & calceamenta? Audi enim Angeli ad ipsum uerba [præcingere, & calceate caligas tuas]: quamquàm huiusmodi calceorum ne magna tunc quidem aderat necessitas: nam illo quidem tempore uel nudis ire pedibus licet: hieme tantũ necessarium habent usum. ac tamen caligas habuit. Quid uerò Paulus? cum ad Timotheũ scribens dixisset, [Festina ante hiemem venire]; deinde mandata dat,atq; inquit, [penulam,quam reliqui Troade apud Carpum,ueniẽs affer tecum,& libros; maximè autem mẽbranas.] En penulam memorauit; nec cuiquam hoc in mentem uenerit,aliã illi non fuisse,quam gestaret. Etenim si omnino solitus erat non gestare, superuacaneum planè erat, vt hęc afferretur,iubere. Sin autem fieri nequit, quin gestarit; aliam quoque illi fuisse manifestum est. Quid verò,quòd integrum biennium in sua se arte, ac mercẽnario labore cõtinuit? Ergo repugnauit Christo uas illud electionis? ille qui dicebat, [viuo autem iam non ego, uiuit uerò in me Christus]? ille de quo testificatus est Christus, ita dicens [quoniam vas electionis est mihi iste.]

Luc. 14.
Matt. 19.
Luc. 6.
Matt. 10.
Num sacerdoti possidendum aurum.
Act. 12.
2. Tim. 4.
Gal. 2.
Act. 9.

hi iste.] Oportebat uos in hac dubitatione relinquere, nullamque afferre quęstionis explicationem; sed hanc à uobis pęnam exigere pro ea, qua in scripturis utimini, negligentia. Inde enim omnia hæc existūt. Propterea & in aliorum peccatis accerbi inquisitores sumus, de nostris autem ne cogitamus quidem, quoniā scripturas nō tenemus; quoniam in diuinis legibus nō erudimur. Erat igitur hęc a uobis pœna repetēda. Sed quid agā? Pater sum. Multa etiam ultra, quàm oportet, filiis gratificantur patres; dū paterna ipsorum incalescunt uiscera: & si filiū tristem, ac tabescentem uideant, ipsos quoq; plus illo pungit dolor; nec quiescunt, donec mœroris causam sustulerint. Ergo & in nobis idem fit; licet paulisper uos męrere siuerim ex eo quòd nō acciperetis; nimirū, ut bene nunc accipiatis. Quid igitur dicendū est? nō pugnant, absit, sed ualde cōsentiunt cum præceptis Christi. Pręcepta enim illa ad tēpus erant & non perpetua. Neq; id ex cōiectura, sed ex diuinis scripturis dico, quō? Narrat Lucas dixisse Christū discipulis [quando misi uos sine sacculo, & pera, & zona, & calceamētis; numquid aliquid defuit uobis? at illi dixerūt: nihil: ergo posthac uobis comparate]. Sed quid facto opus fuit? dic mihi, unam habere tunicam? Quid ergo? cum lauanda hæc erat; domi nudum sedere oportuit? uel nudum circumire necessitate inuitante; nullaque decori habere rationē? Cogita, cuiusmodi id fuisset Paulū, qui orbē terrarū ideo peragrabat, ut tot præclara opera ederet, inopia uestis coactum domi sedere, ac tātis rebus impedimētū afferri. Quid verò, si uehemens ingruisset hiems, ac pluisset, aut etiam cōglaciasset; quomodo eam siccare licuisset? num rursus nudum sedere oportuit? Quid uerò, si frigoris ui corpus collaberetur; num tabescendū fuit, atque obmutescendū? Ne enim putes adamantina illis cōstructa fuisse corpora; audi quid de Timoth. dicat. [modico uino utere propter stomachum tuū, & frequentes tuas infirmitates,] ac rursus de altero [necessariū existimaui mittere ad uos uestrū Apostolum, & ministrum necessitatis meę: nam & infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est eius: non solum autem

Luc. 22.

1. Tim. 5.

Phil. 2.

autem eius, verùm etiam & mei] Quamobrem cuiuis morbo, atque inualitudini erant expositi: quid igitur? pereundum ne illis erat? nequaquam. Quid igitur causæ tunc fuit cur id Christus preciperet? potētiam suam uolebat ostendere; idque in posterum etiam prestari a se posse; sed non præstitit. quapropter? multo erāt hi admirabiliores Israelitis; quorum tamen neque calcei, neque uestes usu consumebantur; quanquā solitudinem illam peragrarent; vbi ardentiores incidebant solis radii, & qui uel lapides ipsos possent in cinerem uertere. Qua igitur de causa hoc fecit? tua causa. Nam quoniā futurum erat, ut non perpetuo valeres; sed vulnera acciperes; propterea facultatem tibi medicamentorum parandorum prebuit: quod hinc satis constare potest. Dic enim mihi; an non ipse poterat illos nutrire? quomodo? qui tibi uoluntatem suam offendēti dedit; Paulo non daret? qui Israelitis dedit murmuratoribus, scortatoribus, idolatris; nō ne multo magis Petro permitteret, qui omnia propter ipsum reliquerat? Qui sceleratis hominibus potestatem habendi fecit; non multo magis Ioanni gratificaretur; qui eius causa patrem quoq; ipsum reliquerat? Attamē noluit; sed per te ipsos nutrit; ut tu sanctificeris: & animaduerte mihi benignitatis exuperātiam. Voluit discipulos suos uiliores esse; vt tu aliquātulū respirares. Etenim si illos nullius indigos prestitisset; multò sanè admirabiliores futuri erāt, multò clariores: sed saluti tuæ subsidiū detractū esset. Noluit igitur illos fieri admirabiles; sed maluit uiles fieri; ut tu salutem consequereris: & uiles istos esse passus est; ut tu salutem consequi posses. Non enim eque se uenerandū prebet doctor, qui accipit; sed ille potissimū honore afficitur, qui nō accipit: verum interea non iuuatur discipulus; sed fructum amittit. Vides sapientiam benigni, atq; hominū amantis Dei? Nā quemadmodum ipse propriā gloriā nō quesiuit, nec sua spectauit; sed cum in gloria esset, uoluit tua causa uilis fieri; idē etiā in doctorib. seruauit; ut cū eos uenerādos prestare posset; maluerit abiectos esse tua causa; ut tu haberes unde lucrū ferres; vt tu haberes unde ditesceres; ut abūdares in spiritalibus:
propte-

propterea ille eget in iis, quæ ad hanc vitam pertinent. Potuisse igitur Deum illos nullius indigos præstare, multis argumentis docui: tua tamen causa in egestate relictos esse similiter ostensum est. Hęc igitur cognoscentes, non ad accusationes, sed ad beneficia conferenda nos conuertamus; non aliorum mala curiosè scrutemur; sed nostra met recogitemus: aliorum benefacta cogitemus; de nostris autem peccatis recogitemus; atque ita placebimus Deo. Nā qui aliorum quidem peccata uidet, & sua recta facta; duplex damnū reportat: quatenus enim hæc; in arrogantiam tollitur; quatenus illa; in negligentiam incidit. Dum enim cogitabit illum, atque illum peccasse; facile & ipse peccabit: dum cogitabit se bene officio functum; facilè superbia efferetur. At qui sua quidem recta facta obliuioni mandat, sola autem peccata aspectat; aliorum uerò nō peccata, sed virtuti consentaneas actiones studiosè scrutatur; multis modis lucrum facit: quomodo? audi. Nam cum illum vel illum recte se gessisse uiderit; ęmulatione ad imitandum, seque illis æquandum prouocabitur: cum se peccasse animaduerterit; demittet animum, ac modestiam tuebitur. Hanc rationem si teneamus; atque hoc modo nostra disponamus; promissa poterimus cōsequi bona; quibus utinam nos omnes digni reddamur gratia, & humanitate &c.

SERMO DECIMVS.

Cap. III. *E cætero fratres mei gaudete in* **Domino. Eadem uobis** *scribere mihi quidem non pigrum; uobis autem tutum. Videte canes; uidete malos operarios: uidete concisionem. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritui Dei seruimus, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes.* Mœrores, & solicitudines, cum præter modum animam distrahunt, suo robore illam priuāt. Propterea Paulus etiam, cum Philippenses in magno mœrore essent, eos excitat, & releuat. Męrebant autem; quòd quomodo se res Pauli haberent, ignorabant; mœrebāt; quòd ipsum

ipſum obiiſſe exiſtimabant: mœrebant ob Euangelium,ob Epaphroditum. Igitur de omnibus his rebus animum illis explens ſubiungit. *De cætero fratres mei gaudete.* Nō habetis, inquit,poſthac; cur mœreatis. Habetis Epaphroditum,ob quem dolebatis: habetis Timotheum:ego etiam aduenio: Euangelium procedit. Quid iam uos amplius angat? gaudete. Ac Galatas quidem filios uocat; hos autem fratres. Nam quotieſcumque quidem uel corrigere aliquid vult, vel uehementem amoris affectum oſtendere; filios uocat: at cum plus honoris iis, quibuſcum uerba facit, habendum eſt, fratres. *De cætero fratres mei, inquit, gaudete in domino,* recte dixit, *in domino,* non mundi modo. nam hoc non eſt gaudere: ærumnæ inquit, quæ ſecundum Chriſtum, ipſę gaudium habent, *eadem uobis ſcribere mihi quidem non pigrum; uobis autem tutum. Videte canes.* Vides non in ipſo exordio inductam eſſe admonitionem; ſed poſtquam illos multis nominibus laudauit; poſtquam ſuſpexit: tunc hoc facit, ac rurſus etiam laudans. Videbatur enim hoc orationis genus eſſe moleſtius; quamobrem vndique lenit; neque aculeos exſtare patitur. Quos autem dicit canes? Hic erant aliqui; quos in omnibus Epiſtolis ſignificat, iudæi, impuri, execrandi, turpis lucri, & principatus cupidi; qui cum multos ex fidelibus ad ſe allicere vellent; & chriſtianiſmum, & Iudaiſmum prędicabant, corrumpentes Euangelium. Quoniam igitur difficiles ad depræhendendum erant; propterea inquit, *uidete canes.* Iam non Iudæi ſunt filii: olim iſto canum nomine ethnici uocabantur; nunc autem illi: cur? quoniam quemadmodum Ethnici & a Deo,& à Chriſto alieni erant; ita Iudæi nunc ſe abalienauerunt: atque hinc illorum impudentiam, & improbitatem, magnamq; à filiis diſiunctionem,ac diſſidium ob oculos ponit. Nam olim quidem ethnicos uocatos eſſe canes;audi quid chananęa dicat. [Etiam domine:nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.] Cæterum, ut neque hoc iſti aſſequantur; ut canes putētur huiuſmodi, qui ad mēſam admitti queant;addit hęc, quibus ipſos omnino abigat. *Videte malos operarios.*

Matt. 15.
Mar. 7.

Ac mirifice dixit. *Videte malos operarios:* nam operantur quidem, inquit; sed malam in partem; opusquè cessationé longe deterius est; dum, quæ rectè sunt constituta, difiiciunt. *Videte, inquit, concisionem*. Magnum quiddam, & maiestatis plenum erat apud Iudæos circumcisio: quandoquidem & lex ei decedebat; & sabbatum circumcisione vilius erat. Etenim vt circumcisio fieret; soluebatur sabbatum: nunquam verò vt sabbatum seruaretur; soluebatur circumcisio. Atque considera mihi Dei aptam gubernationem; maiorem quàm sabbatum, habebat venerationem circumcisio; quippe cum ipsa nullo tempore omitteretur. Cum igitur ipsa soluta sit; multo magis sabbatum. Propterea Paulus ipsius nomen resecat; & inquit, *Videte concisionem*. Neque dixit; malum est circumcisio; superuacua est circumcisio; ne uiros istos pungeret; sed sapientius idem molitur, ac struit; à re quidem ipsa abducens; nomen autem illis gratificatus: uel potius rem quoque ipsam studiosius: Verum non ita erga Galatas, sed longe secus. Nam quoniam ibi magnus erat morbus; aperta iam fronte magna cum autoritate scalpellum adhibet, ac secat. Hìc uerò, quoniam nihil eiusmodi admiserant; ipsis eam, quæ ex uocabulo, uoluptatem gratificatur; canes interea illos abigens; & inquit. *Videte concisionem*, cauete uobis à concisione, *nam nos sumus circumcisio*, quomodo? *Qui spiritu Deo seruimus, & non in carne fiduciā habentes*, nō dixit: examinemus circumcisionem illam, & hanc; utra sit melior; sed nec nomine quidem ipsam impartit: & quid inquit? circumcisio illa, concisio est, quapropter? nihil enim aliud faciunt; quàm quòd carnem concidunt. Quando enim quod fit, legitimum non est; nihil aliud, quàm carnis sectio est; & concisio. Vel igitur ob hanc causam ita illam appellauit; uel quòd Ecclesiam concidere aggrediebantur. Nam, & nos concisionis nomine utimur in iis, qui temere, & sine arte hoc faciunt. Nam si circumcisio quærenda est, inquit; apud nos eam inuenietis, *qui spiritu Deo seruimus*, idest, qui spiritaliter seruimus. Dic enim mihi, utrum melius; anima, an corpus? euidenter anima, igi-

Vide notationes.

ma: igitur & hæc circumcisio illa melior: quin imo hæc nunc sola circumcisio est. Etenim quandiu quidem typus manebat; merito comparationi locus erat, [circumcidite, inquit, præputium cordis uestri] ita, & in Epistola ad Romanos ipsam tollit his uerbis. [Non enim qui in manifesto, Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne, circumcisio; sed qui in abscondito Iudæus: & circumcisio cordis in spiritu, non litera.] Nunc verò & nomine iam illam priuat: negatque circumcisionem esse. Nam typus quidem donec uentura est ueritas, ueræ rei nomine uocatur: postquam uerò aduenit ueritas; non amplius. Simile quiddam euenit in adumbrata pictura. descripsit quispiam regem adumbrans. Lineamenta illa adumbrata, quandiu pigmentorum flos & color uerus se in conspectum non dat; regem uocamus. at ubi iste color accessit; obscuratur ueritate typus, neque apparet: tuncque dicimus; imo nunc est Rex: antea non erat. Minimè autem dixit, in nobis enim est circumcisio; sed *nos sumus*, ac merito quidem. Hoc enim est homo: circumcisio uirtuti congruens, hoc est uerè homo: neque dixit, in illis enim est concisio; sed *uidete concisionem*. Ipsi enim posthac uersantur in interitu, ac uiciositate. Deinde ostendens non amplius in corpore fieri circumcisionem; sed in corde; inquit. *Et non in carne fiduciam habentes; quamquam & ego habeam confidentiam in carne:* quid dicit hoc loco, *confidentiam*? & *in carne*? nempe gloriationem; plenam fidentiæ, & granditatis orationem: ac scite istud addidit. Nam si, cum esset ethnicus, accusaret circumcisionem, neque circumcisionem solum, sed eos, qui intempestiuè ipsam reciperent; uideretur sanè ideo in illam irruere; quòd nobilitatis, quæ iudaismi erat propria, expers esset; quòd præclara illa, & maiestatis plena ignoraret; neque ipsorum esset particeps. Nunc uero, qui particeps est, & repræhendit; certè non ita repræhendit, tanquam is, qui non sit particeps; sed tanquam qui condemnauerit; non ex ignoratione: sed maxime ex cognitione. Vide igitur;

Hier. 4.

Rom. 2.

P 2 quid

quid dicat; Et in Epistola ad Galatas, cum incidisset in necessitatem magna de se ipso dicendi, quàm nihilominus animi humilitatem præseferat, [audiuistis enim in-
Gal. 1. quit, conuersationem meam aliquando in iudaismo,] & rursus hìc, *si quis alius uidetur confidere in carne: ego magis*, ac statim adiunxit. *Hebræus ex hebræis*. Non hoc tanquàm id quod sibi per se propositum esset, initio dixit; sed postquam dixerat, *si quis alius*, ostendens necesſitatem; illorumque causa hæc à se dici. Si cōfiditis inquit; *ego magis*. Hoc nunc necessario dico: alioqui tacuissem. Attende uerò; quomodo in arguēdo uitet odium, orationemque suam minimè moleste admitti faciat; dum non nominatim arguit. Id & illis locum se recipiendi dabat. *Si quis uidetur confidere*. Et recte dixit, *uidetur*, uel quòd tantum fidentiæ non haberent; uel quòd uera fidentia non esset: omnino enim hoc necesſitatis est, non electionis, *circuncisus octauo die*: primum ponit; quod maximè optabant, idest circumcisionem; deinde illud, *ex genere Israel*. Vtraque hęc ostendit, neque proselytum se esse, neque ex proselytis oriundum. Nam ex eo, quòd octauo die circuncisus sit, ostenditur non esse proselytum; ex eo autem, quòd ex genere Israel; ostenditur, neque ex parentibus proselytis esse ortum. Deinde, ne putes, *ex genere Israel*, hoc significare esse ipsum ex decem tribubus; inquit, *de tribu Beniamin*, perinde ac si diceret, ex probatiore parte. Nam quæ Sacerdotū erant; in sorte erant huius tribus, *hebræus ex hebræis*, hinc ostendit nō se esse proselytum, sed antiquitus ex benè claris Iudęis. Poterat .n. quis Israelita esse; nec tamē hębræus ex hebræis. Multi enim iam & rem ipsam corruperant; & linguā non tenebant, alijs admisti gentibus. Vel hoc igitur, vel magnam nobilitatem hinc demōstrat. *secundum legem Pharisæus*, Accedit deinde ad ea, quę ad suam sectam, & institutum pertinebant: superiora enim omnia minimè erant consilij, atq; electionis. Neque enim suum opus erat, circumcisum esse, aut ex genere Israel, aut ex Tribu Beniamin, itaq; neque his rebus excellere; quamuis, & in his potissimum non multos socios haberet: ubi igitur consistebat illud *magis*? certè quidem & in hoc

in hoc excellebat; quòd non erat proselytus; quòd erat ex probatissima tribu; quodque antiquitus id haberet à maioribus; quæ quidem non multi habebant: sed quoniam hæc omnia ab electione sua minimè profecta fuerant; accedit ad ea, quæ ipsius sectæ sunt; ubi elucet illud, *magis [secundum legem Pharisæus; secundum æmulationem persequens Ecclesiam*. Addit hoc; quoniã illud solum non satis erat ad probandum illud, *magis*. Nam licet pharisæum etiam esse; nec tamen uehementi zelo affici. Cæterum & hoc addit, *secundum iustitiam*. Ecce, ubi situm est illud, *magis*. Est enim uel ex periculorum contemptu, proiectaq; audacia, uel ex principatus cupiditate id facere; quod sanè principes sacerdotum faciebant. Ostendens igitur non se talem fuisse, *secundum iustitiam, inquit, quæ in lege est, conuersatus sine quærela*. Ergo si & nobilitatis ergò, & studii, alacritatisque, & morum, & vitę, omnes antecellebam; quid causæ fuit; quamobrem præclara illa dimiserim, inquit; nisi quòd ea, quæ Christi sunt, repererim maiora, ac longè quidẽ maiora? quamobrem addidit. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.*

MORALIS DIGRESSIO.



PAVLVS quidem hanc uitę rationem adeo exquisitam, & ab ineunte ætate suscęptam, tantam nobilitatem, tanta pericula, tantos conatus, labores, studia proiecit; ac damna putauit (cum antea lucra essent) ut Christum lucraretur; nos uerò neque pecuniam cõtemnimus; ut Christum lucremur; sed malumus futurę uitę iacturam facere, quàm pręsentium rerum: quamquam hęc nihil aliud sunt, quàm damnum. Cedo enim sigillatim expendamus ea, quę in diuitiis insunt. An non damnum censeri illud debet, quod laborem quidem habet, lucrũ uerò nullum? Quid enim, dic mihi, utilitatis ex multis, ac præciosis uestibus? atque istis induti quid lucri facimus? nihil planè; sed damnum duntaxat *De cõtemnẽdis diuitijs.*

taxat reportamus : quomodo ? quoniam & pauper uilem, tritamque ueſtem ferens in maximis caloribus nihilo deterius fert æſtum, quàm tu : quinimo ille facilius : trita enim, & unica facilius ſinit reſpirare, ac recreari corpora : quæ autem nouè confecta eſt, etiam ſi aranearum telis tenuior; non item. Ac tu quidem nimio elatus faſtu, & binas, ternaſq; tunicas, ſæpe uerò, & amiculum, & zonam, & ſubligacula habes: Illi uerò nemo crimini dat; quòd vnica tegatur tunica; hincque facilius fert æſtum. Et diuites quidem uidemus manantes ſudore ; pauperes uerò minimè. Quando igitur homini eundem uel etiam potiorem uſum præbent ueſtimenta uilia, & nullo propè pręcio empta; illa uerò, in quibus neceſſariò multum auri effundendum fuit, nihil plus efficiunt; non ne damnum eſt nimium illud, ac ſuperuacaneum? Nihil enim plus afferunt, quod ad uſum, & commodum pertinet; ſed plus auri effuſum tibi eſt. Eundem uerò uſum, & cōmoditatem tu quidem diues centum, aut forte etiam pluribus aureis emiſti; pauper uerò paucu'o argento. Vides damnum? ſed faſtus uidere non ſinit. Vis ne auri etiam, quod & equis & mulieribus circundant, rationem ſubducamus? Ad alia enim diuitiarum mala hoc etiam accedit; quòd amentes faciunt. Eodem enim honore & mulieres, & equos dignātur: unus eſt utrorumq; ornatus; atque ex iiſdem rebus uolunt mulieres ſplēdidiores apparere; ex quibus & uehicula, ex quibus & pelles cortynarum, in quibus uehuntur. Dic mihi, quid lucri eſt, mulū uel equum auro ornare? Mulier uerò tanta auri, lapidumque mole circundata; quid amplius habet? Atenim aurea, inquit, non conſumuntur: quinimo & hoc illis accidere affirmant, qui iſta callent; atq; in balneis, & alibi ſępe, & lapides, & aurea multum de precio perdunt. Verum ſit ita ſanè, ut uis; nihilq; lędantur : cedò quid lucri? Quid? cum exciderint; ac perierint; an non damnū eſt? quid uero, cum inuidiam, atq; inſidias in ſe cōcitarint; nō ne damnum? Nam quandoquidē nihil proſunt circundatę mulieri; inflāmant verò inuidorum oculos, & latrones magis excitant; nō ne damnum afferunt? Quid verò dic mihi,

cum

cum liceret viro his uti ad negociũ magno cũ emolumento gerendum; nec tamen põt ob sumptuosę mulieris luxũ; cogiturq; ipse cum fame cõflictari, & in summas adduci angustias, illam uerò spectare auro onustam; nõ ne hoc damnum est? Propterea enim pecunię dictæ sunt χρήματα, idest vtilia, non ut ipsis sic nos vtamur, quemadmodũ utuntur aurificũ prothecę; sed ut ex illis honesti quippiã agamus. Quando igitur auri cupiditas id minimè permittit; an non res tota damnum est? Nam qui ipsis uti nõ audet; perinde ac si aliena essent, ita nõ utitur: sublato autem usu iam non sunt, χρήματα, idest utilia. Quid uerò, cum ędes splendidas, ac laxas ædificamus, ipsasq; & columnis, & marmoribus & porticibus, & ambulationibus, modisq; omnibus exornamus, idola ubique & statuas collocantes? multi quidem ex his etiam dęmonas inuocant: sed omittamus nunc istud. Quid sibi vult & tectum aureum? nõ ne eundem usum sua illi domus præbet; qui sibi aptã, ac modicam habet? at habet, inquit, magnam delectationem. sane unum; aut alterũ diem; exinde uerò minimè. Nam si solem ipsum non ualde admiramur, quòd ei uidendo assueuimus; certè multo minus opera artis; sed nihilo magis, quàm si lutea essent, attendimus. Quid enim, dic mihi, ad ædificationis commoditatem multitudo columnarum, & signorũ pulchritudo, & aurum muris inspersum confert? nihil: sed omnia luxus, insolentiæ, elationis nimiæ, ac dementiæ sunt. Vbique enim rebus necessariis, quibusque utamur, danda opera est, non inutilibus. Vides rem istam damnum esse? vides superuacaneam, & inutilem? nam si neque maiorem usum, neque delectationem affert (procedente enim tempore satietatem parit) nihil aliud est, nisi damnum. Sed obstans inanis gloriæ studium facit, ne uideamus. Ita Paulus quidem quæ lucra esse arbitrabatur; ea reliquit; nos uerò neque ea, quæ damna sunt, prę CHRISTO relinquemus? Quousque tandem humi defixi hærebimus? quousque ad cœlum non spectabimus? non uidetis senes; quàm nullum rerum pręteritarum sensum habeant? non uidetis morientes, cum senes, tum iuuenes?

non

non uidetis eos, qui in uita ipsa suis rebus spoliati sunt? cur de rebus instabilibus pēdemus? cur infirmis illigamur? quousque non persequemur manentes, ac stabiles? Quid non darent senes; quo liceret deponere senectutem? Ita ne? quæ isthæc dementia est, ad pristinam uelle iuuentutem redire, atque huius rei consequendæ causa facile omnia dare; cum uerò liceat consequi iuuentutem, cui non succedat senectus, iuuentutem multis cum diuitiis coniunctam, multoque uiuaciorem; nec paulum quiddam uelle dare; sed ea retinere, quæ etiā in præsenti nihil prosunt? Ex morte eximere te non possunt; non morbum propulsare, non propulsare senectutem, aut quicquam aliud eorum, quæ necessariò, & secundum naturæ legem accidunt; atq; adhuc ad illa adhærescis? Ecquid lucri? dic mihi: hinc ebrietas, edacitas, obscęnæ ac multiplices uoluptates; quæ quidem magis, quam amari domini nos excruciant. Hęc solum ex diuitiis lucrari potest; aliud uerò nihil; quandoquidem ita uolumus. Nam si liberet; cœlum sane ipsum diuitiis consequeremur. Ergo bonum, inquit, diuitiæ. Non hoc diuitię præstāt; sed possessoris consilium, atque electio. Electionem enim esse, quæ hoc faciat, vel hinc licet animaduertere; quòd etiā pauper cœli adire hæreditatem potest. Etenim, quod sæpè dixi, nō mensuram rerum, quę dantur, Deus spectat, sed animum dantium: licet & pauperi, & pauca danti totum consequi. Exigit enim Deus pro cuiusque facultate: neque diuitiæ regnum conciliant, neque paupertas geennam, sed utraque bonus, & malus animus. Hunc igitur corrigamus, hūc componamus, hunc talem, qualem esse decet, pręstemus; atque omnia erunt nobis facilia. Nam quemadmodum artifex siue ferream, siue auream securim habeat; æque ligna cædit, ac dolat, atque adeo facilius etiam in ferro; ita & hìc longe facilius per paupertatem paratur virtus. Nam de diuitiis quidem inquit [facilius est camelum per foramem acus transire: quàm diuitem in regnū cœlorum] de paupertate nihil huiusmodi pronūciauit; sed potius contra [vende omnia quę habes, & da pauperibus, & veni, & sequere

Facilius paupertate quám diuitijs paratur regnum.

Matt. 19.

Ibidem, & Mar. 10.

sequere me.] perinde ac si ex uenditione futurum esset, vt sequeretur dominum. Ergo paupertatem minimè fugiamus, tanquam malum: est enim conciliatrix regni: neque item persequamur diuitias ut bonum: Incautos enim perdunt: sed ubique oculos ad Deum intendentes, utamur, quò conuenit, iis, quæ ab illo nobis tributa sunt, & corporis robore, & abundantia diuitiarum, cęterisque rebus omnibus. Absurdum enim planè est, cum ab ipso facti simus, non ei, qui nos fecit, sed aliis isthęc utenda prębere. Fecit tibi oculum? hunc ipsi præsta; præbe utendum; non autem diabolo, quomodo autem Deo præbebis? opera ipsius considerans, & ipsum glorificans, abducens uero à mulieris aspectu. Fecit tibi manus? Has ipsi possideto, nō diabolo; nō eas ad rapinas, ac prædas, sed ad mandata facienda, ad beneficia cōferenda, atque ad preces assiduas extendens; ad eos, qui ceciderunt, erigendos. Fecit tibi aures? has ipsi præbe; non infractis, ac mollibus cantilenis; non turpium sermonum auditioni [omnis enim enarratio tua, inquit, in lege altissimi] & rursus [in multitudine, inquit, presbyterorum sta, & si quis sapiens fuerit, ei te adiunge] Fecit tibi os? Ex hoc nihil prodeat; quod Deo non probetur; sed psalmodias, hymnos, odas canat spiritales [ut det gratiam, inquit, audientibus] ad fulciendum, nō ad euertendum, ad benedicendū, non ad maledicendum; non adstruendas insidias; sed cōtra omnino. Fecit tibi pedes? non ut properes ad uiciositatē, sed ad bona. Fecit tibi ventrem; non ut ipsum rumpas; sed ut philosophicam exerceas sobrietatem. Indidit cupiditatem ad liberorum procreationem; sed nō ad scortationē, & adulterium: Dedit tibi mentem, non ut blasphemiam in ipsum iacias; non ut sis conuiciator; sed ut benè dicas: Dedit & pecunias; ut quò oportet, ipsis utamur; eademque de causa uires dedit. Fecit artes; ut uita substentetur; non vt à rebus ad spiritum pertinentibus nos ipsos auocemus; nō ut sordidis artibus operam demus, sed necessariis; vt nobis mutuam opem feramus; non ut insidiemur. Dedit tectum, eò duntaxat; ut arceat pluuiam; non ut ipsum quidē ornetur auro; pauper

Eccli. 9.
Eccli. 6.

verò pereat fame. Dedit uestes, ut tegamur, non ut ostentemus; non ut illæ quidem multo auro rigeant; Christus verò nudus pereat. Domum dedit; non ut solus habeas; sed ut aliis etiam præbeas. Terram dedit; nō ut maiore illius parte ad te abstracta, in scorta, & psaltrias, & mimos, & tibicines, & citharędos insumas Dei bona; sed in esurientes, atq; egenos. Dedit tibi mare; ut nauiges, ne itinere faciendo labores; non ut curiosè illius fundum scruteris; & lapides, & alia huiusmodi inde extrahas; nō ut hoc tibi studio habeas. Atenim, quamobrem ergo, inquit, sunt lapides? Quinimo dic tu mihi: Quam ob causam lapides illi in tanto precio sunt? nū facultate aliqua? num usu? at certè qui è mari nō sunt, utiliores sunt. Etenim hi saltem ad ędificationem cōferunt; illi uerò nusquam. At illi, inquit, pulchritudinem afferunt: quomodo? totum id opinionis est: sunt candidiores? at non certè marmore ualde candido? quinetiam neque ad illius candorem accedunt: at solidiores? ne id quidem: at utiliores? at maiores? neutiquam. Vnde igitur suspiciuntur? nō aliunde, quàm ex sola existimatione. Nam si neque pulchriores sunt (multos enim inueniemus illis lucidiores, & candidiores) neque utiles, neque solidiores; unde, inquam, adeo suspiciuntur? an nō ex sola existimatione? Quam igitur ob causam illos dedit? non ipse dedit: sed tu magnū esse quippiam putasti. Quid igitur est, inquit, quòd scriptura etiam eos celebrat? nimirum accomodatè ad tuam opinionem loquitur. Nam & præceptor ad puerulum uerba faciens, eadem, atque ille, sæpe suspicit; ut illum sibi conciliet, ac paulatim subuehat. Quid pulchritudinem expetis uestium? Vestem tibi circunda, & calceos: his te orna: hæc tibi satis sint. [Desiderabilia, inquit Dauid, super aurum, & super lapidē prętiosum multum,] sed [iudicia Dei] Terrena uerò hęc pro nihilo sunt habenda: non sunt hęc, ò dilecte, utilia. Si utilia essent; nō iussisset contemnere: sed diuina scriptura ad existimationem nostram loquitur. Atque hoc etiam diuinæ benignitatis est. Quam igitur ob causam inquit, purpuram, & cætera huiusmodi? diuinę magnificentiæ hęc sunt opera.

Psal. 18.

Cur Deus dederit purpuram, & alia huiusmodi.

opera. Nam aliis quoq; ex rebus suas uoluit diuitias ostēdere: alioquin & frumentum ipse dedit solum; tu uerò ex hoc multa paras, placentas, bellaria uaria, ac multa, magnā afferentia uoluptatem. Voluptas, & inanis gloriæ amor hęc omnia inuexit. Videbantur enim hæc tibi omnibus rebus pręferenda. Cæteroqui, si peregrinus quispiam, aut agricola harum rerum imperitus te interroget, teq; illa suspicientem uidens dicat; cur ista suspicis, atque admiraris: quid habebis, quod respondeas? Pulchra esse aspectu? sed non ita est. Deponamus igitur hanc opinionem: uerisque reapse bonis inhæreamus. Hæc enim minimè sunt; sed temere accedunt tantum, instar fluminis dilabentia. Quamobrem obsecro uos, caueamus, ne facile circumferamur: sed super petram nos ipsos sistamus; ut futura consequamur bona gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul, & sancto spiritui, gloria, imperium, honos &c.

SERMO VNDECIMVS.



ED quæ mihi fuerunt lucra; hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum. Veruntamen & existimo omnia detrimētum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror quisquilias esse, ut Christum lucrifaciam; et inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est; sed illam, quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est, iustitiam in fide ad cognoscendum illum, et uirtutē resurrectionis eius. In certaminibus, quę aduersus hęreticos suscipiuntur; uegetā adhibere mētem oportet, atq; assidue in ea cogitatione defixā. Ita .n. disturbare illorū ordines poterimus, & plenissimā reportare uictoriam, nullum illis respirādi spacium dantes. Propterea cum uelim uos ex scripturis ad huiusmodi certamina instruere, ut hinc etiam eos, qui cōtradicunt, obmutescere faciatis: huius, quæ nūc in manibus est, disputationis initium sumam à fini superioris. Quis autem erat ille finis?

Cum collegisset iudaica omnia, quæ gloriandi causam dabant, ea quæ à natura, ea, quæ à consilio, & electione; addiderat. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc existimo detrimentum esse propter eminentẽ scientiam Iesu Christi domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror quisquilias esse; ut Christum lucrifaciam.* Insultant hoc loco hęretici. Nam & hoc sapientię est spiritus, spes illis uictoriæ submittere; ut pugnam capessant. Etenim si aperte loquutus esset; fecissent & in istis, quod in aliis fecerunt: deleuerunt enim literas; repudiarunt scripturam, cum aduersos illius radios ferre non possent. Sed quod in piscibus fit, ut illud, unde sunt capiendi, non manifestò illis obiiciatur, sed occultetur; ut accurrere non vereantur; id & hoc loco accidit; ubi à Paulo lex damnum dicta est. Sane, quod Paulus inquit, huiusmodi est: non licebat Christum lucrari; nisi hãc damnum putassem. Hæc omnia alliciunt hæreticos; ut locum recipiant, existimantes pro se facere. Quando uerò receperunt; tunc illos digitis undique cõstringit. Quid igitur isti dicunt insultantes? En lex est damnum, en σκύβαλα, idest quisquilię: quomodo igitur ipsam Dei esse dicitis? Verumenim uerò hæc omnia pro lege sunt: quomodo autem; hinc perspicuum fiet. Attendamus autem diligenter, quæ dicuntur. non dixit, lex est detrimentũ; sed ipsam, *arbitratus sum detrimentum*: & de lucro quidẽ loquens, non dixit *arbitratus sum*, sed, *fuerunt lucra*; de damno autem dixit; *arbitratus sum*: meritò. Illud enim naturà erat; hoc uero iam ex opinione nostra profectum est. Quid igitur? non est, inquit, damnum lex; sed propter Christum putatur damnum. Cur autẽ non dixit, putari lucrum, sed esse? Cogita quantum fuerit, homines efferatos iam natura, ad humanam uitæ rationẽ adducere. Nisi lex fuisset; neque etiam gratia data esset: quapropter? quoniam pontis instar fuit. Etenim quoniam minimè fas erat de infimo loco in excelsum ascendere; facta est scala. Et quãuis, qui illhuc peruenit, non amplius scalæ egeat; non propterea tamen illam spernit; sed potius ei gratias habet. Ipsa enim fuit, quæ illum eò adduxerit; ut sui post hac non egeat; ac tamen pro hoc ipso, quòd illius non

Mos hæreticorũ delendi literas repudiãdi scripturam.

Vtilitas legis.

non eget, beneficium se illi debere merito fatetur: sine illa enim non ascendisset. Idem de lege dicendum est. Euexit nos in sublime: ergo lucrum erat: sed iam ipsam putamus damnum: quomodo? non quoniam damnũ est: sed quoniam longe potior gratia. Nam quemadmodum fame laborans pauper, quandiu quidem solum argẽtum habet, eo arcet famem; postquã uerò aurum inuenerit, si utrunque retinere nõ liceat, damnum putat retinere argentum, atque illo dimisso aurum capit; dimittit autem, non quòd damnum sit argentum (nõ enim est) sed quoniam utrunque simul habere non licet; sed necessario alterutrum est relinquendum: ita & hic. Non igitur lex est detrimentum, sed legi inhærentem deficere à Christo: quamobrem cum nos abducit à Christo; tunc damnum est: quòd si adducat; non item. Propterea inquit, *propter Christum detrimentum*. Si propter Christum; ergo naturà non est detrimentum. Cur autem non sinit lex ad Christum accedere? ac sanè eo, inquit data fuerat [plenitudo enim legis Christus, & finis legis Christus.] Sinit; si dicto audientes esse uelimus: sinit, si ipsimet legi obediamus; si attendamus: quòd si minimè attendamus; non sinit: *ueruntamen & existimo omnia detrimentum esse*. Quid hoc, inquit, de lege dico? non ne bonum est mundus? non ne bonum est præsens uita? ueruntamen si abducant à Christo; pro damnis habeo: cur? *propter eminentem scientiã Iesu Christi domini mei*. Vbi enim sol illuxit; lychno inhærere damnum est. Itaque ex collatione damnum fit; nimirum ob alterius præstantiam. Vides Paulum comparationem facere? *propter eminentem*, inquit; non quòd alterum alienum sit. Nam quod eminet, & excellit; rem, quæ eiusdem sit generis, excellit. Vnde igitur per comparationem, præstantiam alterius constituit; inde alterius etiam cognationem, & similitudinem cognitionis demonstrat: *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror quisquilias esse, ut Christum lucrifaciam*. Nondum quidem manifestum est quisquiliarum nomen de lege dici: uerisimile enim est Paulum de mundanis rebus dicere. Nam cum dixisset, *quæ mihi fuerunt lucra; hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum*, addit,

Rom. 10.

ueruntamen et existimo omnia detrimentũ esse; dum dicit omnia; significat, & præterita, & præsentia. Quòd si uelis legem significari; neque ideo tamen cõtumelia afficitur. Quisquiliæ enim ex frumento existunt; & quod in frumento quasi robustius est, id σκύβαλον, idest quisquilia, & palea est: idem enim est, atque ἄχυρον: quamobrem antequam frumentum existeret; utilis erat illa palearum seges; & unà cũ frumento ipsam colligimus: quòd si illa non fuisset; neque hoc exortum esset. Vides ubique non rem ipsam uocari damnum; sed præ Christo, *ueruntamen et omnia existimo detrimentum esse*, quam ob causam? rursus, *propter eminentem scientiam [propter quem omnia detrimentum feci*, quamobrem adiungit, *omnia existimo detrimentum esse, ut Christum lucrifaciam*. Vides ubique inhærentem firmamento Christi? nec usquam patitur nudari legem, ac plagam accipere; sed undiq; ipsam munit: *& inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est*: si is, qui iustitiam habebat; quòd ea præ hac iustitia nihil esset; ad hanc accurrit; qui nullam habent; quomodo non multò magis accurrere debebunt? Et rectè dixit, *non habens meam iustitiam*, idest non illam, quam mihi meis laboribus, ac sudoribus comparaueram; sed quam ex gratia inueni. Si igitur ille, qui uirtutis officia obiuerat; ex gratia salutem est adeptus; multo magis uos. Quoniam enim uerisimile erat illos dicere, maiorem esse iustitiam, quæ ex laboribus; ostendit hanc præ illa paleam esse. Secus enim, non cum ad ipsam peruenissem, ea proiecta ad hanc alteram accurrissem: quę nam uerò hæc est? quæ ex fide Dei; idest hæc ipsa etiam à Deo data est: Dei est hæc ipsa iustitia; Donum penitus Dei est. Dei autem dona longo interuallo antecedunt uilitatem rectorum factorum, quæ ex nostro studio profecta sunt. Quid autem est, *in fide ad cognoscendum illum*? Ergo per fidem cognitio: nec sine fide illum cognoscere fas est: quomodo? per ipsam enim cognoscenda est uirtus resurrexionis eius. Etenim quæ unquam ratiocinatio resurrexionem nobis demonstrabit? sed sola fides. Quòd si Christi secundum carnem resurrexio fide cognoscitur; quomodo generatio Dei verbi compre-

præhendetur ratiocinationibus? generatione enim minor est resurrexio: cur? quoniam illius quidem multa exempla extiterunt; generationis nullum. Mortui enim multi resurrexerunt ante Christum (quamuis post resurrexionem rursus obierint) nemo autem vnquam fuit; quem virgo pareret. Ergo si illud etiam, quod ortu secundum carnem uilius est, fide compræhendendum est; quod multo maius est, & infinite maius, ac ne comparabile quidem est, hoc quomodo ratiocinatione compræhendemus? Hęc faciunt iustitiam. Hoc enim oportet credere, fieri potuisse: quomodo uerò potuerit; non iam pote est ostendere. Ex fide enim fit; ut rerum molestarum coire societatem uelimus. Nisi enim credamus; neque etiam incommoda libebit subire: nisi credamus fore; ut unà subeuntes, simul etiam regnemus; nullo pacto ad subeunda incommoda adducemur. Ergo fide, & natiuitas, & resurrexio compræhenditur. Vides non nudam requiri fidem, sed cum operibus coniunctam? Is enim potissimum credit resurrexisse Christum; qui similiter se periculis exponit; qui ei se in perpessionibus socium præbet. Fit enim socius ei, qui resurrexit, ei qui uiuit. Propterea dicebat, *& inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est, iustitiam in fide ad cognoscendum illum, & uirtutem resurrexionis, & societatem passionum illius, configuratus morti eius; si quo modo occurram ad resurrexionem quæ est ex mortuis*, [*configuratus, inquit, morti eius*, idest particeps. Etenim quemadmodum ille ab hominibus malè acceptus est; ita & ego: propterea dixit, *configuratus*, & rursus alibi. [Et adimpleo ea, quæ desunt passionum CHRISTI in carne mea:] idest uexationes, & calamitates huiusmodi, reddunt imaginem quandam illius mortis. Non enim quod suum est quærebat; sed quod multis prodesset. Quamobrem & uexationes, & incōmoda, & angustiæ tantum abest, ut nos perturbare debeant; vt potius inde lętandum sit; quòd per hęc conformes reddimur morti eius; perinde ac si diceret ad illius similitudinem

Non sufficit nuda fides.

Col. 1.

2. Cor 4. dinem fingimur; quod & alibi inquit, ita scribens [mortificationem domini Iesu in corpore circumferentes.] Et id verò ex magna fide fit. Non enim solum resurrexisse credimus; sed etiam post resurrectionem habere magnam potentiam. Propterea eadem uia iter facimus, qua ille; idest hac etiam ex parte fratres illius efficimur; perinde ac si diceret. Ex hac re efficimur Christi quidam. En quanta est ęrumnarum dignitas. Credimus conformes nos fieri morti eius per ærumnas. Nam quemadmodum in baptismo,

Rom. 6. [consepulti sumus similitudini mortis eius;] ita hìc eidem morti conformes reddimur. Ibi merito dixit [similitudini mortis eius,] non enim totam mortē obiuimus; non enim corpore, & carne mortui sumus, sed peccato. Quoniam igitur mors utrobiq; dicitur; sed ille quidē corpore mortuus est, nos autem peccato; & illic homo mortuus est, quem ipse assumpserat, qui in corpore nostro spectari uoluit; hic uerò homo peccati; propterea ibi quidem inquit [similitudini mortis eius]; hìc uerò non iam similitudini mortis, sed ipsimet morti. Paulus enim in uexationibus non iam peccato mortuus est; sed ipso corpore: quamobrem eandem subiit mortem, *si quo modo occurram inquit, ad resurrectionē, quæ est ex mortuis.* Quid ais? omnes enim ad istam

1. Cor. 15. perueniunt. Nam [nō omnes quidem dormiemus, inquit,

Apud græcos. sed omnes immutabimur] neq; resurrexionis solum omnes participes erimus, sed etiam immortalitatis, hi quidem ad honorem, hi uerò ad occasionem supplicii. Ergo si omnes ad resurrexionem perueniunt, neq; ad resurrexionem solum, sed etiam ad immortalitatem; quomodo tanquam qui præcipuum quippiam adepturus esset, dicebat, *si quomodo occurram?* Propterea inquit, hæc subeo, *si quomodo occurram ad resurrexionem, quæ est ex mortuis*: nisi enim mortuus fueris; non resurges. Quid igitur hoc est, quod inquit? magnum quiddam hoc loco significat. Adeo enim

Contra inanem hæreticorum fiduciam. magnum erat; vt neque asseuerare ausus fuerit; sed tantum inquit: *si quo modo:* credidi in ipsum, & ipsius resurrexionem; præterea propter ipsum patior: nec tamen adhuc possumus omnino confidere fore, vt resurgamus. Quam

hoc

hoc loco resurrexionē dicit? nimirū eam, quę ad ipsum du cit Christū. Dixi me credere in eum, & uirtuti resurrexionis eius, & socium me esse passionum suarum, configuratumque me esse morti eius: ueruntamen post hæc omnia nondū penitus confido: quod alibi dixit, [qui se existimat stare, uideat ne cadat,] & rursus [timeo, ne forte cū aliis prędicauerim, ipse reprobus efficiar.] *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam; in quo & comprehensus sum à Christo Iesu [non quòd iam acceperim.* 1. Cor. 10. Ibidem 9.
Quid est, *iam acceperim?* brabium inquit; Quòd, si qui tanta perpessus fuerat, qui uexabatur, qui mortificationem habebat; nondum de resurrexione illa fidenti, & securo animo erat; quid tandem dicemus nos? quid est, *si comprӕhendam?* quod antea dixerat, *si occurram in resurrexionem, quæ est ex mortuis;* si compræhendam, inquit, ac teneam ipsius resurrexionem; idest si tanta pati potuero; si ipsum imitari potuero; si conformis ipsi fieri, quemadmodū multa passus est Christus; sputis fœdatus est, virgis cæsus; ac demum mortem subijt. Hoc stadiū est: per hæc omnia opus est ad illius resurrexionem vos peruenire, omnia certamina perferentes. Vel igitur hoc sibi vult; vel istud: si dignus factus fuero, qui assequar probatam illam resurrexionem, ac fidentiæ plenam; qui ad ipsius resurrexionem perueniam. Nam si certamina, ac labores omnes perferre potero; illius quoque resurrexionem assequi potero, & cum gloria resurgere: non dum enim inquit dignus sum, *sequor autem si quomodo compræhendam.* Adhuc mihi uita in certamine uersatur: adhuc à meta longe absum: adhuc à brabiis disto: adhuc curro; adhuc sequor; & non dixit, curro, sed *sequor;* ac merito. Nam qui apud Græcos dicitur διώκων, idest qui sectatur; nostis, quantam cōtentionem in sectando adhibeat; neminem intuetur; omnes quicunque cursum illius interrumpunt, magno impetu propellit; & mentem, & oculos, & uires, & animam, & corpus contrahit, solum brabium spectans, præterea nihil. Quòd si Paulus tantus sectator, ac tanta passus adhuc inquit, *si quo modo compræhendam,* quid dicemus nos? Deinde ostendens debitum

hoc esse, inquit, *In quo et compræhensus sum à Iesu Christo.* Eram inquit ex perditorum numero; demergebar; pereundum mihi omnino erat: compræhendit me, ac tenuit Deus. Nam & ipse nos sectatus est fugientes ipsum magno cum studio; propterea omnia hæc illi accepta refert: His enim uerbis, *compræhensus sum*, & studium Dei demonstrauit nos compræhendere uolentis, & nostrū longinquū recessum; atq; errationem, nosq; omnino ab illo refugisse ostendit.

MORALIS DIGRESSIO.

Nō fugiendū à Deo.



VAMOBREM cum illud lachrymis dignum est, omnes ad pristinum statū relabi; tum uero hoc etiam; cum magno simus debito obnoxii, neminem tamen lugere, neminem lachrymari, neminem suspirare. Ac ne putes ironice isthæc à me dici. Nam quemadmodum ante Christi aduentum à Deo fugiebamus; ita nunc ab ipso fugimus. Pote enim est fugere à Deo, nō quidem loco (nam ubiq; est) sed operibus. Etenim loco quidem ab eo discedi nō posse, audi prophetam dicētem [quò ibo à spiritu tuo; & quo à facie tua fugiam?] quomodo igitur pote est à Deo fugere? eodem modo, quemadmodum pote est procul à Deo proficisci, ac long abesse [qui se elongant inquit, à te, peribunt] & rursus [non ne iniquitates uestrę diuiserunt inter me & uos?] quomodo igitur fit iste longinquus discessus? & quomodo intercedit interuallum? electione, & animo. Loco enim pote nō est. Quomodo enim quis ab eo, qui ubiq; adest, fugiat? Peccator igitur fugit. Hoc est, quod scriptura inquit [fugit impius nemine persequēte] Valde fugimus Deum; tametsi semper ille sectatur nos. Apostolus cursum suum eò intendebat; ut prope ad illum accederet; nos eò intendimus; ut procul discedamus. Ergo nō hæc digna lamentis? Quò fugis infelix, & miser? quo fugis à uita, & salute tua? si à Deo fugias; ad quem confugies? si à luce fugias; quò respicies? si à uita fugias; unde posthac uiues? Fugiamus hostem salutis nostræ. Cum peccamus, à Deo

Psal. 138. *Psal. 72.* *Esa. 59. licet paulo aliter.* *Prou. 28.*

Deo fugimus; fugitiuorum more erramus; ad alienam abscedimus terram; quemadmodum ille, qui comederat paterna bona, & abierat in alienam terram; qui totum patrimonium cõsumpserat, atq; in fame viuebat. Habemus uerò patrimonium & nos; cuiusmodi uerò hoc? liberauit nos a peccatis: donauit nobis uires ad uirtutis officia obeunda donauit nobis alacritatem, patientiam in baptismo: donauit nobis spiritum sanctum. Si hæc absumpserimus; fame post hac laborabimus. Nam quemadmodum ęgroti, quandiu quidem febribus agitantur, & succorum uiciositate laborant: neque exurgere, neque suis muneribus fungi, neque agere quicquã possunt; quòd si quis eos à morbo liberet, & ad sanitatem adducat; nec tamen adhuc quicquã agant; iam id ex propria socordia fit; ita sanè & in nobis. Vexabat enim nos morbus grauis, ac febris uehemens; decũbebamusque nõ in lecto, sed in ipsamet viciositate, perinde atq; in stercore: in improbitate volutabamur, scatentes vlceribus, fętorẽ spirantes, squalidi, incurui, vmbrę potius, quàm homines. Circumstabãt nos improbi dęmones, princeps mundi huius ridẽs, insultans. Venit Dei unigenitus: emisit radios pręsentiæ suę; & caliginem cõfestim depulit. Venit ad nos ipse rex, qui erat in throno paterno, thronũ relinquens paternũ (quãdo aũt reliquisse dico, ne id significare rursus putes, mutationẽ, ac transitũ, cęlum enim, terramq; ipse implet; sed ob œconomiã id dico) venit ad hostem, qui ipsũ odio prosequebatur, auersabatur, neq; ut ad eum oculos cõuerteret, adduci poterat, blasphemiis quotidie appetebat. Vidit in stercore iacentẽ, à uermibus exulceratum, à febri, & fame oppressum, nullo non morbi genere laborantẽ. Nã & febris vexabat (hoc enim est improba cupiditas) & inflammationes urgebant (hoc enim arrogantia) & quædã insatiabilis fames occupabat (hoc enim auaritia) & sanies vndiq; (hoc .n. scortatio) & cęcitas oculorũ (hoc enim idolatria) & surditas, & stupor (Hoc enim erat lapides, & ligna adorare, & cũ illis colloqui) & multa deformitas: hoc enim viciositas; triste nimirum quiddam, & morbus grauissimus. Vidit absurdius quàm insanientes

Luc. 15.

Seruari à nobis posse mandata.

Beneficium aduentus Christi.

soleant loquentes, & lignum & lapidem Deum vocantes. Vidit in tanta uiciositate; nec tamen abominatus est, non amarior factus, non auersatus est, non odio prosequutus. Dominus enim erat; & opus suum non oderat. Deinde quid facit? Optimi medici more parat pretiosa pharmaca, eaque primus gustat. Virtutem enim ipse primus obiuit; ac deinceps nobis tradidit. Ac primum pharmacum, quasi antidotum quoddam, lauacrum dedit. Ita omnem euomuimus uiciositatem. Ita omnia simul in fugam se dederunt; inflammatio cessit; febris extincta est; & sanies exiccata. Omnia enim & quæ ab auaritia, & quæ ab ira, & cætera omnia mala per spiritũ euanuerunt: aperti sunt oculi; apertæ aures: aptã uocem loquuta est lingua; uires acquisiuit anima; acquisiuit corpus pulchritudinem, & florẽ huiusmodi; qualem par est habere pulchritudinẽ Dei filium ex spiritus gratia procreatum; qualem par est habere gloriam filium nuper Regi natum, & in purpura eductum. Hei mihi quãtam nobis donauit nobilitatem: nos uerò ergã eum, qui adeo nos amauit, ingrati esse perseueramus: peperit nos, nutriuit, beneficiis affecit; quid rursus fugimus ab eo, qui tanta tribuit beneficia? Ergo qui hæc omnia fecit; robur etiam dat: non enim, dum morbus nos occupabat, ferendo oneri eramus; nisi ipse uires nobis dedisset, & peccata remisisset. Irritum fecimus donum: dedit nobis diuitias; eas dilapidauimus; omnia comedimus, atque exorbuimus: dedit nobis uires; eas cõsumpsimus: dedit nobis gratiam: ipsam extinximus; quomodo? consumpsimus nulla in re quæ nobis prodesset, atq; utilitatẽ afferret. Hæc nos perdiderunt; atque illud preterea, quod omnium grauissimum est; quòd in aliena degẽtes terra, & comedentes siliquas, non tamen dicimus; redibimus ad patrem, & dicemus; peccauimus in cœlum & in te: idque, cum patrem adeo amantẽ, nostriq; reditus ualde cupidum habeamus. Dummodo ad ipsum redeamus, dummodo à viciositate discedamus, neque ut de præteritis nos obiurget, adduci potest. Satis enim apud illum excusationis est, rediisse. Ec quid dico, ut obiurget, adduci nõ potest? non solum

Optimus medicus noster parauit pharmaca, & primus gustauit.

In baptismo omnem euomimus uiciositatẽ.

Deus et peccata remittit, & uires dat.

Luc. 15.

solum ipse non obiurgat; verum etiam si alius obiurget, silentium imponit; etiam si ille, qui obiurgat, apprimè sibi acceptus sit. Redeamus: quousq; recedimus? sētiamus decus; sentiamus uilitatem. Viciositas nos porcos facit; viciositas famem affert animæ. Recuperemus nos ipsos, & resipiscamus; eòq; incumbamus; ut in pristinam restituamur nobilitatem; ut assequamur futura bona in Christo Iesu Domino nostro, cum quo patri, simulque sancto spiritui gloria, imperium, honos &c.

SERMO DVODECIMVS.



RATRES *ego me non arbitror cōpræhendisse. Vnum autem: quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea uerò quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brabium supernæ uocationis Dei in Christo Iesu.* Nihil ęq; inania reddit benefacta, disperditque, atque eorum, quæ nos rectè fecimus, memoria. Duo enim parit mala; negligentiores facit, & in arrogantiam tollit. Quamobrem Paulus, quoniam nouerat naturam nostram ad socordiam ualde esse procliuem, multis autem laudibus Philippēses affecerat; uide quomodo eorum spiritus cōprimat, multis quidem aliis adhuc modis; pręcipue autem his nunc uerbis; quid enim dicit? *Fratres ego me non arbitror compræhendisse*: quòd si Paulus adhuc non compræhendit, neque fidenti animo de resurrexione, ac futuris rebus est; multo igitur minus illis, qui nec minimā illius benefactorū partem assequuti fuerant, id faciendum erat. Quod autem inquit, hoc est: nōdum omnem me appręhendisse uirtutem puto: ita de cursore dici solet; nondum appræhendit. Nondum inquit Paulus totum confeci. Quòd si alibi inquit, [Bonum certamē certaui.] hîc uerò, 2. Tim. 4.
nondum arbitror me compræhendisse; qui utrunque locum accurate leget; probè causam illorum, & horum uerborum cognoscet. Non enim assidue oportet eadem uersare; nosque omnia docere, admonereque, hæc multo antea dicta esse; illa uerò sub ipsum obitum: *nondum arbitror, inquit, me compræ-*

præhendisse; sed in hoc uno totus sum; ut ad anteriora me extendam. Hoc enim sibi vult, dum inquit, *quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea uerò, quæ priora sunt, extendens me ipsum, ad destinatū persequor, ad brabium supernæ uocationis Dei in Christo Iesu.* Vide his uerbis ostēdere; quid illud sit, quod ipsum faciebat ad anteriora se extendere. Ergo qui iam se perfectū putat, nihilquè sibi deesse ad uirtutis absolutionem; is à cursu cessabit, quasi qui totum iam teneat. At qui se adhuc à meta abesse cogitat; is nunquam à cursu cessat. Hoc igitur & nos existimare semper debemus; etiam si sexcenta obiuerimus uirtutis officia. Etenim, si Paulus post sexcentas mortes, post tanta pericula hoc secum putabat; multo magis nos; nondum, inquit, animo concidi; quamuis post tantum cursum nondum peruenerim; non ideo tamen desperaui: sed adhuc curro: adhuc certo: hoc unum specto, ut assidue proficiam. Id nobis etiam faciendum est: obliuioni mandanda sunt benefacta; & omittenda, quæ retro sunt. Nam & cursor, non quot spacia confecerit, cogitat, sed quot adhuc restent. Ita & nos, non quantum in virtute progressi simus, cogitemus; sed quantum adhuc progrediendum restet. Quid enim nobis proderit, quod progressi sumus; nisi etiam quod restat, confecerimus? Neque dixit, non cogito, aut non memini, sed *obliuiscens*, ita nos attentiores reddens. Tunc enim ualde uehemētes sumus; cum omnē animi impetum in id, quod restat, coniecimus cum præterita obliuioni mandauimus, *extendens, inquit, me ipsum*: nos autem antequam accedamus; capere uolumus. Is enim extendere se dicitur; qui pedes licet currentes reliquo corpore anteuertere studet; seque inclinat in anteriora; manusque protendit, ut aliquanto etiam plus spatii faciat. Id vero ex multo animi impetu, & magno ardore fit. Qui currit; hoc modo currat oportet, tanto cū studio, tanto cum impetu; non autem remisse. Quantum autem inter hunc, qui hoc modo currit, & inter eum, qui iacet supinus, interest; tantum inter Paulum & nos. Quotidie ille moriebatur; quotidie benè merebatur: nulla erat occasio, nullum tempus; in quo non aliqua illi ad cursum accessio

cessio fieret: non uolebat capere, sed rapere. Ita enim fas est capere. Qui dat brabium; sursum stat; sursum positum est brabium. Vide quantum spacii sit propositum ad percurrendum: vide quàm celsus sit locus; quò uolandum est alis spiritus: aliter enim altitudo illa obtineri nequit. Cũ corpore illhuc ambulandum est; licet enim: [nostra enim inquit, conuersatio in cœlis est]: Ibi palma est. Vides eos, qui currunt, quàm ex lege viuant? quàm nihil eorum, quę vires eneruant, attingant? quàm quotidie certent in palęstra sub magistro, & lege? Hos fac imiteris; ac potius maiorem prome impetũ. Longe enim potior est palma; & multi sunt, qui impediunt: ex lege viue: multa enim sunt, quę robur dissoluunt: bonum crus fac pedi tuo: non enim naturę est; sed voluntatis; leuem hanc reddamus; ne celeritati pedum reliquum pondus officiat. Doce pedes esse cautos: solum enim multis locis est lubricum; ac si cadas; multa perdidisti: attamen, & si cecideris, exurge: licet enim & hoc pacto uincere. Nunquam lubricis rebus te committas; & non cades: super solidas, ac stabiles curre. Sursum caput habeas; sursum oculos: id & currentibus magistri præcipiunt. Ita consolidantur uires. Sin deorsum uersum nutabis; cõcides, ac fatisces. Sursum specta; ubi palma est: hic palmæ aspectus auget studium voluntatis: spes adimit laborum, & molestiarum sensum. Longinquitas facit, ut brabium appareat exiguum. Quod nam illud est? non ramus palmæ; sed quid? regnum cœlorum, requies sempiterna, gloria cum Christo, hæreditas, fraternitas, innumerabilia bona; quę uerbis exponi non possunt. Palmæ illius pulchritudinem explicare nefas est: solus ille nouit, qui obtinet; & qui accępturus est: nõ est aureum, non ex lapidibus cõstat: multò istis est preciosius. Aurum præ illo lutum est: lapides preciosi prę illa pulchritudine lateres sũt. Si ea potitus in cęlum iueris; magno illic cum honore poteris incedere; Angeli tę reuerebuntur palmam illam ferentem: Fidenter ad omnes accedes: *In Christo Iesu*: Vides gratum animum: in Christo Iesu hoc, inquit, facio. Non enim sine illius impulsu tantum spacii conficere fas est: magno

Phil. 3.

magno subsidio opus est; seq; ille nobis in pugna socium præbeat, oportet. Deorsum quidem te certare uoluit; sursum uerò coronat: non hìc ubi certamen, est etiam corona illa; sed in splendido loco. Nõ uidetis hìc etiã ex athletis, & aurigis, quos maximo afficiunt honore, non deorsum in stadio coronari? sed sursum eos uocans Rex illìc coronat. Ita etiam & tu hinc in cęlũ specta; vbi capies palmam, *quicunq; ergo perfecti sumus, inquit, hoc sentiamus; & si quid aliter sapitis; et hoc uobis Deus reuelabit*. Quid hoc est? nimirum quæ retro sunt, obliuiscenda esse; ita ut perfecti hominis sit, non se existimare perfectum esse. Quomodo igitur dicis? *quicunq; perfecti*. Dic enim mihi, hoccine uis sapiamus, quod tu sapis? Nam si non assequutus es, si non es perfectus; quomodo iubes perfectos hoc sapere, quod & tu sapis, qui nondũ perfectus? Hoc enim, inquit, perfectio est: *& si quid aliter sapitis; & hoc uobis Deus reuelabit*: idest, si quis autem putat se totum rectè esse assequutum: cauet nimirum illis; at non ita dixit; sed quid? *& si quid aliter sapitis, & hoc uobis Deus reuelabit*. Vides, quàm uerecunde: Hoc, inquit, vos Deus docebit; idest Deus uobis persuadebit; nõ tantum docebit. Nam docebat quidem Paulus; Deus autem inducebat. Et nõ dixit, inducet; sed *reuelabit*; ut ignoratio uideatur potius, quàm improbitas. Non hęc de dogmatis dicta sunt, sed de perfectione uitæ; ut nemo se ipse existimet perfectum esse. Etenim qui omnia se putat consequutum; nihil habet. *Verumtamen ad quod peruenimus, in eadem permaneamus regula: idem sapiamus*, [*ueruntamen ad quod peruenimus*, quid hoc est? interea inquit, quod boni cõsequuti sumus, teneamus, charitatem, concordiam, pacem: hoc nobis rectè confectum est; *ad quod peruenimus, in eadem permaneamus regula, idem sapiamus*, [*ad quod peruenimus*, idest hoc nobis iam rectè confectum est. Vides Paulum hoc uelle, pręcępta esse regulam? regula neque additionem, neque detractionem capit: cętero qui iam non est regula, *in eadem regula*; idest in eadem fide, in eadem constitutione, *imitatores mei estote fratres: & obseruate eos, qui ita ambulant; sicut habetis nos formã*. Dixit superius, [videte canes] hos ab illis abducẽs: propo-

proponit nunc eos, qui sunt imitandi. Si quis, inquit, nos imitari vult, si quis eandem insistere uiam; huic operā date: quamuis ego non adsim, nostis tamen incessus mei rationem, & modum, id est rationem vitæ, & morum. Non enim verbis solum docebat, sed etiam factis; quemadmodum in choro, & exercitu, choragum & ducem reliqui imitentur oportet; itaque ordinate incedant. Nam fieri potest, vt ex illo etiam statu, qui in choro στάσις dicitur, ordo dissoluatur.

MORALIS DIGRESSIO.



ERGO Apostoli erant forma, & typus; speciem eam retinentes, quę archetypi, & primarii cuiusdam exemplaris instar esset. Cogitate, quàm accurata esset illis uitę ratio; ut ipsi propositi essent, quasi archetypus, & exemplar, & leges animatæ. Quę enim literæ dicebāt; hęc ipsi factis perspicua omnibus faciebant. Hæc optima est docendi ratio: ita discipulū impellere doctor poterit. Sin dicat quidem, ac verbis philosophetur; factis verò cōtraria repræsentet; nondum doctor est. Nam uel discipulo hoc facile est, uerbis philosophari. Sed illa admonitio, & persuasio accedat oportet, quę per opera fit. Nā hæc & doctori reuerentiam conciliat, & discipulo propensionem ad parendum? quomodo? quoniam, ubi uerbis quidem uiderit philosophantem; secum dicet, ea quæ fieri non possint, magister iste præcępit; idque ipse primus ostendit, qui ea non facit. Sin autem uiderit uirtutem factis ipsis exprę ssam; non habebit amplius, cur ista dicat. Veruntamen etiam si doctoris uita socordiæ plena sit; nobis ipsi attēdamus, & audiamus prophetam dicentem [erunt omnes docibiles Dei] & [nō docebit ultra uir fratrem suū dicens; cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum.] Non habes doctorem uirtute præditum: sed habes eum, qui uerè doctor est; quem etiam solū doctorem

Virtutē omnibus rebus bene uti.

Officium boni doctoris.

Esa. 54.
Hier. 31.
Matt. 21.

appellare oportet. Ab illo disce. Ille dixit, [discite à me, quia sum mitis:] nō obserues magistrum istum, sed illum, illiusque disciplinas. Inde typum cape: habes effigiem optimam; ad quam te ipse componas: sexcentæ sunt propositæ in scripturis uitarum cum uirtute actarum imagines. Accede, si libet, post magistrum ad discipulos; inter quos hic quidem ex paupertate luxit, atque eminuit, ille uerò ex diuitiis: exempli causa, Helias ex paupertate, Abraam ex diuitiis: utram putas leuiorem, tibique aptiorem; hanc tene. Rursus hic quidem ex matrimonio, ille uero ex virginitate. Abraam ex matrimonio, Helias ex uirginitate: vtram libet, insiste: utraque enim ad cœlum ducit. Et Ioannes quidem per ieiunium; Iob uerò sine ieiuniis. Rursus hic ipse, cum mulieris, & filiorum & filiarum, & domus cura ipsi gerenda esset; multisque abundaret diuitiis; Ioannes uerò nihil possidebat præter uestimentum ex pilis confectum. Et quid dico domum, & diuitias, & pecunias; quando uel eum, qui regnū obtinet, fas est uirtutem consequi? Nulla enim non priuata domo longè occupatior reperietur regia: ac tamen Dauid fulsit in regno; neque illum dissoluit purpura, aut diadema: itemque alter, cui integri populi gubernacula commissa fuerant, Moyses inquam: quod sanè difficilius etiam erat. Hìc enim plus licentiæ erat, ideoque plus difficultatis, & molestiarum. Vidisti probatos in diuitiis; uidisti & in paupertate. Vidisti in matrimonio; uidisti & in uirginitate. Contra uerò considera, & in matrimonio, & in uirginitate, & in diuitiis, & in paupertate non defuisse, qui perirent. Nam in matrimonio quidem multi homines perierunt; vt Sampson, non tamen ex ipso matrimonio; sed ex animo, electioneque sua: in uirginitate item; ut quinque uirgines; in diuitiis, diues ille, qui Lazarum despiciebat: in paupertate, nunc quoque sexcenti pauperes pereunt. In regno, & in populi gubernatione multos possum ostendere, qui perierint. Vis autem & in militari ordine uidere, qui salutem sint consequuti? intuere Cornelium: uis & in rei familiaris administratione? intuere Eunuchum

Aethiopissę. Ita undique perspicuum sit, si quò oportet, diuitiis vtamur, nihil esse, quod nos perdat: sin minus; omnia: perdit nos regnum, perdit paupertas, perdunt diuitię. Attento quidem homini nihil nocere poterit. Vis & quos nihil seruitus, & captiuitas lęserit, uidere? Cogita ipsum Ioseph seruum quidem factum, sed nihilominus uirtutis retinentem. Cogita mihi Danielem, & tres illos pueros, cum captiui essēt, multo magis fulsisse. Vbiq; enim uirtus lucet, neq; expugnari, neq; impediri ulla ratione pōt. Quid dico paupertatem, & seruitutē? nec fames quidem, nec morbus quantumuis grauis nocere pōt. Morbus enim seruitute est grauior. Talis erat Lazarus: talis Iob. Talis erat & Timoth. crebro pressus infirmitate. Vides nihil esse, à quo superari virtus queat? nō diuitias, nō paupertatem, non imperium, non seruitutem, non rerū administrationem, nō morbum, non ignominiā, non exilium? sed hęc omnia deorsum, atq; humi relinquēs virtus ad cœlum peruenit. Tantum generosa sit anima; tunc prohibere nihil poterit, quin uirtutis sit cōpos. Vbi enim ualet is, à quo actio promenda est; nullum externę res impedimentū afferunt. Nam & in artibus, vbi artifex bene peritus fuerit, & tolerans, vniuersamq; artem tenuerit; etiā si morbus adueniat, ipsam retinet; etiā si in paupertatē incidat, ipsam retinet: siue instrumentū in manu habeat, siue nō habeat, siue suo fungatur munere, siue non fungatur; nihil illi ex arte detrahitur. In ipso .n. inest scientia. Ita & qui uirtute pręditus est, atq; ex Deo pendet; siue illum in diuitias coniicias; ostendit uirtutē suam: siue in paupertatem; nihilominus; siue in morbum, siue in sanitatem, siue in gloriā, siue in infamiam: an non per ista omnia transierunt Apostoli? [per gloriam inquit, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.] Hoc est athletam esse, nēpe ad omnia esse accōmodatum. Talis enim est virtutis etiam natura. Quòd si dicas; præesse aliis non possum; solitaria mihi uita agenda est; iniuriam fecisti virtuti. Ea enim omnibus rebus uti potest, & ubique splendet, dummodo insit in anima. Fames adest? adest annonæ copia? uirtus suum præ se fert robur; quemadmodum 2. Cor. 6.

Paulus inquit, [scio & abundare, & penuriam pati:] operandum erat? nō erubescebat: sed duos annos operam arti suæ dedit. Erat ferenda fames? non concidebat, nec uacillabat. Moriendum erat? non deiiciebat animum: undique generosum illum animum, atque artem ostendebat. Hunc igitur ęmulemur; nec quicquā causæ erit, cur męreamus. Quid enim, dic mihi, tali uiro mœrorem afferre poterit? nihil planè: quandiu hanc nobis nemo eripuerit, omnibus hominibus erimus beatiores, & hic, & ibi. Sit enim quis uirtutis compos: tunc & uxorem habeat, & filios, & pecunias, & circumfluat gloria; in his omnibus similiter uirtutem retinebit. Aufer hæc; nihilominus similiter uirtutem retinebit, non à calamitatibus obrutus, non ex prosperitate tumescens; sed perinde ac petra quędam maritima, siue turgeat mare, siue malacia existat, æque manet immobilis; neq; à fluctibus fracta, neq; à malacia quicquā damni passa: ita etiā solidus animus æque stabilis præstat in fluctibus, & in malacia. Et quemadmodū pueruli nauigio uecti turbantur; gubernator autem sedet ridens, & immotus, & ex illorum trepidatione uoluptatē capit; ita animus philosophicus, dū cęteri omnes turbantur, aut uicissim rident intempestiue in rerū mutationibus, ipse quasi ad clauum quendam pietatis sedēs perstat immotus. Quid enim, dic mihi, animam piam perturbare potest? num mors? at hoc melioris uitæ initium: an paupertas? at hoc ipsam prouehit in uirtutis uia; an morbus? sed pro nihilo habet hanc uitam: & quid dico morbum? pro nihilo æque habet delectationes, atque ærumnas: Anticipauit enim, ac se ipsa iam affixit: an ignobilitas? sed mundus ipsi crucifixus est: an amissio liberorum? sed non metuit: futuram enim sibi persuasit resurrexionem. Quid ergo euertere illam poterit? prorsus nihil quicquam: at diuitiæ extollunt? minimè: nouit enim pecunias nihil esse: at gloria? sed iam in hac disciplina eruditus est, omnē hominis gloriam esse ueluti florem fœni: at delitię? sed audiuit Paulum dicentem, [quę in deliciis est, uiuens mortua est.] Ergo cum neque tumescat, neque deprimatur; quid huic sanitati par inueniri poterit?

Act. 18. Esa. 40. 1. Tim. 5.

Verum

Verum non tales sunt cæterę animæ; sed crebrius, quàm mare, & chamæleon, mutantur. Quamobrem ualde ridicula est illarum conditio. Quî enim non rideas; cum uideas eundem nunc ridentem, nunc flentem, nunc solicitum, nunc præter modum remissum, ac torpentem? Propterea Paulus inquit [nolite conformari huic seculo.] In cęlo enim degimus, & quasi ciues uersamur; ubi nulla mutatio. Promissa sunt nobis premia immutabilia: talem & & nos uitæ rationem exhibeamus: inde iam capiamus bona. Ecquid igitur nos ipsi in Euripũ proiicimus? & in medios fluctus, & in procellas, & turbines? amabò amplectamur malaciã, & tranquillitatem. Ea non ex diuitiis pendet, non ex paupertate, non ex gloria, non ex ignobilitate, non ex morbo, non ex sanitate: nõ ex infirmitate: sed ex nostro cuiusque animo. Si hic solidus fuerit, ac recte in uirtutis disciplina eruditus; omnia illi facilia erunt; atq; hinc iam requietem cernet, portumque tranquillum; & illhuc profectus innumerabilia bona cõsequetur; quibus utinam digni reddamur gratia domini nostri Iesu Christi, cũ quo Patri, simulq; sancto spiritui gloria, imperium, honos nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Rom. 12.

SERMO XIIII.



VLTI *enim ambulant, quos sæpe dicebam uobis; nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum; qui terrena sapiunt. Nostra enim conuersatio in coelis est; unde etiam Saluatorem expectamus dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat corpori claritatis suæ, secundum operationem uirtutis suæ, qua etiam possit subiicere sibi omnia.* Nihil æque dissentaneum est, alienumque à Christiano; ac requietem, & ocium quærere; Nihil æque à professione nostra, & militia, cui nomen dedimus, alienum; ac præsenti vitæ defixum esse. Dominus tuus in crucem actus est; & tu requietem quæris?

ris? Dominus tuus clauis confixus eſt; & tu deliciaris? Hæccine militis generoſi? Propterea etiam Paulus inquit, *multi ambulant, quos ſæpe dicebam uobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti*. Quoniam erant nonnulli; qui Chriſtianiſmum quidem ſimulabant, ſed in ocio, ac deliciis viuebant; id uero aduerſatur Cruci; idcirco iſta dicebat. Crux propria animę eſt in acie ſtantis, mori cupientis, nullam ſibi oblectationem poſtulantis. Illi uerò contrariam vitæ rationem ſequuntur. Quamobrem tametſi dicant ſe Chriſti eſſe; inimici tamen ſunt Crucis: alioqui, ſi crucem amarent; id quoque ſtuderent; ut crucifixam uitam uiuerent. Non ne in Crucem actus eſt dominus tuus propter te? ſi illius modum non potes; imitare alia ratione dominum tuum. Ipſe te crucifige; etiam ſi nemo te figat. Cruci, inquam, te ipſe fige; non ut ipſe te interimas, abſit (impium enim eſt), ſed prout Paulus dicebat, [Mihi enim inquit, mundus crucifixus eſt, & ego mundo.] Si dominum tuum amas; mortem illius morere: diſce quanta ſit Crucis potentia; quot bona fecit; quot faciat; quàm in tuto vitam collocet. Per hãc omnia perficiũtur: baptiſma per crucem [oportet enim, inquit, accipere ſignaculũ] manuum impoſitio per crucem: omninoque, ſiue in uia ſimus, ſiue domi, ſiue ubi, vbi uis; magnũ bonum eſt crux, ſalutaris armatura, clypeus minimè peruius, ſed reluctans diabolo. Cum hoc igitur ſi bellum geras; tunc geſtas crucem: non tantum accępto ſignaculo, ſed etiam, quę Crucis propria ſunt, ſubiens, ac patiens. Cõſueuit enim Chriſtus paſſiones nomine Crucis appellare; ut cum inquit [niſi quis tollat Crucem ſuam, & ſequatur me] id eſt niſi quis rectè ſe comparauerit ad mortem. Iſti verò degeneres, uitę, & corporis amantes, profectò Crucis ſunt inimici: & quiſquis deliciarum, mundanæque tranquillitatis amator eſt; inimicus eſt Crucis; in qua Paulus gloriatur; quam complectitur; cui nititur inſeri; quod illa uerba indicant, [Ego crucifixus ſum mundo, & mundus mihi.] nunc uerò inquit, *nunc autem & flens dico*, cur? quoniam malum creuerat; quoniam tales qui ſunt, hi lachrymis digni ſunt. Vere lachrymis

Gal. 6.

De Crucis potentia.

Matt. 16. ſed paulo aliter.

Gal. 6.

chrymis digni sunt; qui in deliciis degunt; & indumentum quidem, ideſt corpus pinguefaciunt; futuri uero, quod ipſos manet, ſupplicii nullam rationem habent. Eſto: delicate viuis; eſto: uino mades; hodie, cras, decem annos, & uiginti, & triginta, & quinquaginta, & centum: quod quidem nefas eſt: Verum, ſi uis, demus ita eſſe: quod nam extremum, quæ utilitas? nulla. Talem igitur uitam viuere, non ne lachrymis, & lamentis dignum eſt? Adduxit nos Deus in hoc ſtadium, ut coronet; & nos abimus nullo præclaro edito facinore? Flet igitur Paulus, quibus de rebus alii rident, ſeque oblectant: tanto alienarum calamitatum ſenſu tangitur: adeo omnes homines curat. *Quorum, inquit, Deus uenter eſt*. Propter hoc eſt Deus ipſis. Hoc illud eſt [comedamus, & bibamus] Vides quantum malum ſint deliciæ? Aliis quidem pecunia, aliis verò uenter Deus eſt. Non ne hi etiam ſunt idololatræ; & illis etiam deteriores, ac nequiores? *& gloria, inquit, in confuſione ipſorum*: quidam circuncisionem his uerbis ſignificari uolunt. Ego autem ita interpretor; ac ſi dictum eſſet, in quibus oportebat eos pudore ſuffundi, ſeque occultare; in his ſe efferunt. Hoc illud eſt, quod alibi inquit, [quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?] Graue enim malum eſt turpia facere; ſed ſi te, cum facias, pudeat; quaſi dimidium malum eſt: ſin etiam inde te efferas, ac magnifice circunſpicias; ſummus iam eſt animi ſtupor. Ergo de illis tantum hæc dicta ſunt, & nemo eorum, qui hìc adſunt, obiurgationi locum reliquit? nemo illi crimini eſt affinis? neque Deum uentrem habet? neque gloriam in confuſione? Cupio, & uehementer cupio nihil eiuſmodi ad nos pertinere. Vellem neminē noſſe; cui ea, quę dicta ſunt, crimini dari poſſent. Sed ualde metuo; ne in nos magis, quàm in illos cōueniant. Etenim ſi quis omnē vitam in potationibus, & commeſſationibus inſumat; & in pauperes quidem aliquot obolos impendat, maiorem verò opū partem in uentrem effundat; nō ne iure in iſtum etiam dicentur? Nihil

Eſa. 22. et 1. Cor. 15.

Rom. 6.

Nihil his uerbis ad pudorem eliciendum aptius, nihil ad obiurgandum uehementius, *quorum inquit, Deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum,* qui nam isti sunt? *qui terrena sapiunt;* qui dicunt; ædificemus domos: ubi? in terra inquit: emamus agros; in terra rursum; adipiscamur imperium; rursus in terra: assequamur gloriam; rursus in terra: diuitias comparemus; in terra: omnia denique in terra. Hi sunt, quorum Deus uēter est. Qui enim nihil spiritale cum animo suo cogitant, sed omnia sua hic habent, atque hæc sola curant; merito uentrē Deum habent, dicentes [comedamus, & bibamus; cras enim moriemur.] Et corpus quidem doles tibi terrenum esse; quamuis illud tibi, quod ad virtutem pertinet, nihil noceat; animam uerò in terram deprimis; cum contra corpus quoq; spiritale reddere deberes? licet enim, si uelis. Rides, dic mihi, atque animo es omisso? & qualem consequeris ueniam, cum tanto te stupore affeceris? Ventrē accepisti, vt nutrias, non ut distendas; ut illi domineris, non ut dominum habeas; ut tibi inseruiat ad cæteras partes alendas, non ut tu illi inseruias, non ut fines transilias. Non tot malorum causa est mare fines supergressum; quot uenter corpori, animæq; nostræ. Omnem illud terram, in quam se effuderit, obruit; uenter verò uniuersum corpus. Pone illi terminum, quod naturæ satis est; quemadmodum mari Deus posuit littus. Ac si æstuauerit, atque excanduerit; increpa illum potestate, quæ in te sita est. Vide quanto honore te affecerit Deus, vt ipsum imiteris? Tu uerò minimè uis; sed uides illum erumpere, totamque naturam corrumpere, atque obruere; nec tamen audes cohibere, ac moderari, *quorum Deus, inquit, uenter est.* Videamus quomodo Paulus seruierit Deo: videamus quomodo, & edaces isti seruiant ventri: non ne isti sexcentas perferunt mortes? non ne, quæcunque ille iusserit, detrectare formidant? an non etiam in iis, quę minimè fieri possunt, obediunt, eique ministrant? non ne mancipiis nequiores sunt? At non Paulus talis: quamobrem dicebat, [nostra conuersatio in cœlis est.] Non igitur hic quæramus requietem; sed ibi uelimus clari esse;

Philip. 3.

vbi &

vbi & uitam colimus. *Vnde etiam Saluatorem, inquit, expectamus dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat corpori claritatis suæ*: paulatim nos euexit. De cęlo, inquit, Saluator noster; à loco, à persona maiestatem demonstrans, *qui transfigurabit, inquit, corpus humilitatis nostræ*. Multis modis nunc malè accipitur corpus nostrum; vincitur, uapulat, sexcentis malis afficitur. Verū & Christi corpus hæc eadem passum est: Hoc ergo significauit dicens, *ut conforme fiat corpori claritatis suæ*: ergo idem quidem corpus est; sed induitur immortalitate, *transfigurabit inquit*. Ergo & figura alia: aut ita mutationem minus propriè uocauit: dixit autem: *corpus humilitatis nostræ*, quoniam nunc iacet in humilitate; quoniam interitui, ac dolori obnoxium est; quoniam uile uidetur esse, nihilque amplius cæteris habere, *ut conforme ipsum, inquit, fiat corpori claritatis suæ*: Illi ne, quod sedet in dextera patris? Hoc ipsum corpus conforme illi fit, quod adoratur ab Angelis, illi, cui assistunt incorporeę potestates, illi, quod est supra omnem principatum, & virtutem, & potestatem, illi ipsi conforme fit. Ergo si vniuersus orbis sumptis lachrymis, eos, qui de hac spe deciderunt, fleat; non ne meritò flebit? quòd hoc promisso nobis proposito, fore, ut corpus nostrum illi conforme fiat, cum dęmonibus tamen abeant? Iam mitto geennam. Tantum mihi malum videtur de tanta gloria decidisse; ut geennam pro nihilo habeam prę hoc damno, ac ruina. Quid ais Paule? illi conforme fit? næ inquit. Deinde, ne diffidas; argumentum quoque adiunxit, *secundum operationem, inquit, uirtutis suæ, qua etiam possit subijcere sibi omnia*. Potestatem inquit, habet omnia sibi subiiciēdi; ergo & interitum & mortem: potius autem ex eadem ipsa potestate, hoc etiam facit. Quod enim, dic mihi, potentiæ maius opus est Angelos, & Archangelos, & Cherubim & Seraphim subiicere, ac dæmonas; an corpus facere immortale, & corruptelæ nō obnoxium? illud sanè multò maius. Ostendit maiora opera potentiæ suæ; ut hęc etiam credas. Quamobrem tametsi mundanos istos videritis exultātes lętitia, & gloria circumfluentes; uos nihilominus state. Non id uos de statu deii-

Maior est poena damni, quā sensus.

T ciat,

ciat, nõ turbet: spes huiusmodi quæ nobis proponuntur, aptę sunt; quę ualde etiam socordem, atq; oscitantem excitent, atque erigant. *Itaque fratres mei, inquit, charissimi, & desideratissimi gaudium meum, & corona mea sic state in domino charissimi* [*sic*, quomodo? quemadmodum stetistis; immoti: vide post admonitionem encomia, *gaudium et corona mea:* nõ tantum gaudium, sed etiam gloria; non tantum gloria; sed etiam corona. Quid huic uirtuti par inueniatur? quippe cum Pauli corona sint? *sic state in domino charissimi*, id est in spe Dei. *Euodiam rogo, & Sintychem rogo id ipsum sapere in domino. Etiam rogo, & te germane compar, adiuua illas*. Quidam dicunt Paulum his uerbis, [germane compar] uxorem suam rogare; quod minime uerum est: sed quandam aliam mulierem, uel etiam uirum alterius istarum hoc uocat nomine, *adiuua illas, inquit, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis; quorum nomina sunt in libro uitæ*. Vides quantæ virtutis testimonium illis dat? quod quidem Apostolis dicebat Christus, [in hoc nolite gaudere, quia dæmonia uobis subiiciuntur; sed quòd nomina uestra sunt scripta in libro uitæ. Hoc Paulus etiam de istis testificatur dicens, *quorum nomina sunt in libro uitæ*. Videntur autem mihi hæ mulieres caput fuisse Ecclesiæ, quæ ibi erat; easque commẽdat uiro fortasse admirabili; quem com parem etiam uocat; cui fortasse commendare solitus erat, vt auxiliario, & commilitoni, & participi, & fratri: Id vero & in Epist. ad Romanos facit. [commendo, inquit, uobis Phoebem sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris.] *Compar*, uel fratrem aliquem istarum, uel etiam virum alterius ipsarum ita uocat; perinde ac si diceret; nunc frater es germanus; nunc uir legitimus; quippequi membrum factus es, *quæ mecum laborauerunt in Euangelio*. Hinc sollicitudo, & cura erga illas; non ob amicitiam, sed ob benefacta, *mecum laborauerunt*, quid ais? mulieres tecum laborarunt? næ, inquit. Non parum, & illæ contulerunt: quamuis enim multi essent, qui Paulo auxiliarentur; tamen inter multos, & istæ suas in agen-

Marginal notes: *Cap. iiij.* (beside "citent, atque erigant"); *Al. gloriæ.* (beside "etiam corona"); *Luc. 10.* (beside "Apostolis dicebat Christus"); *Rom. 16.* (beside "bis Phoebem sororem")

in agendo partes præstabant. Non parum igitur utilitatis tunc Ecclesiis afferebatur. Nam ex eo, quòd ii, qui probati erant cùm uiri, tùm mulieres, tanto à cæteris honore afficerentur; multa existebant bona. Etenim primum quidem cæteri ad parem zelum adducebantur; deinde in eo etiam, quòd honorem deferebant, quęstum faciebant: tertio & illos ipsos alacriores atque ardentiores faciebant. Propterea ubique uides id curantem Paulum; ac tales homines commendantem: quod etiam in Epistola ad Corinthios inquit [qui sunt primitiæ Achaiæ.] Quidā inquiunt nomen proprium illi fuisse, σύζυγος, idest compar. Sed parum interest; siue hoc, siue illud sit: non hæc minuta diligentia adhibenda est: sed hoc admirandum est, magnum illis deferri honorem iussisse. 1. Cor. 16.

MORALIS DIGRESSIO.



OMNIA, inquit, nobis in cœlis sunt, & Saluator, & ciuitas; & quicquid aliud quis dixerit. [Vnde inquit, & Saluatorem expectamus dominum Iesum Christum]. Atque hoc etiam est benignitatis suæ. Non illhuc nos trahit, & cum nos recęperit, discedit: sed rursus ipse ad nos uenit; atque in hoc magnum nobis honorem habet. Nam si ad nos cum inimici eramus, uenit; multò magis nunc, cum amici facti sumus. Non hoc Angelis committit, neque seruis. Sed ipse in nubibus ueniet uocans nos in regiam suam. Fortasse autem, & eos, qui ipsum coluerint, ipse ad se in nubibus tollet. [Nam & nos, inquit in nubibus rapiemur; & sic semper cum domino erimus.] Ecquis ergo inuentus fuerit fidelis seruus, & prudens? quinam igitur tantis bonis dignabuntur? quàm miserabiles, qui inde cadunt? Nam si per omne tempus illos, qui regnum amiserunt, lugeamus; tantæ miseriæ minime luctus respondere poterit. Etenim si sexcentas geennas attuleris;

Cap. 3. *Quanta sit pœna damni.*

1. Thess. 4.

nihil par afferes dolori illi; quo tunc angitur anima; cum vniuersus quatitur orbis, tubę sonāt, primus accurrit Angelorũ ordo, deinde secundus, deinde tertius; deinde sexcenti ordines in terrā se effundunt; tum Cherubim, & Seraphim (multa autem, atque adeo infinita ista sunt); postremo ipsemet aduenit gloria illa circumfluens, quæ nullis verbis exprimi potest; omnes uerò festinant adducere in medium electos; & ii, qui Paulum sectati sunt, quique ita probati sunt, ut ad illum propè accederent, coronantur, prædicantur, à rege in conspectu totius cœlestis exercitus honore afficiuntur. Nam tametsi geenna non esset; quantum tamen illud est, hos quidem honorem, illos verò ignominiam reportare? Intolerabilis res est geenna, fateor, & ualde quidem intolerabilis: attamen intolerabilius mihi uidetur de regno decidisse. Cedò, enim, si quis rex, vel regis filius domo profectus multis bellis egregie cōfectis, magnaq; sui admiratione commota, uniuerso comitatus exercitu in ciuitatem aliquam ingrederetur cũ vehiculo, cum trophæis, cum sexcentis militum ordinibus auro onustorum, cum satellitibus, & apparitoribus omnibus aureos clypeos gestātibus; uniuersa autem ciuitas coronata esset, omnesque orbis principes cum ipso; à tergo autem ipsum sequeretur omnis quoque ætas exterarum nationum captiua; tum uerò coram legatis, consulibus, Dynastis, principibus omnibus, in præclara illa pompa obuiam sibi prodeuntes ciues amplexetur, osculetur, manum porrigat, omniaque de se illos sibi polliceri uelit, atque in omnium conspectu cum ipsis, ut cum amicis colloquatur, totumq; illud iter ipsorum sibi causa suscęptum dicat; atq; hos quidem in regiam suā perducat, alios uerò quosdam derelinquat; quantum id omni supplicio maius est; etiam si illi supplicio nō afficiantur? Quòd si apud hominem adeo amarum est de gloria illa decidisse; multò magis apud Deũ; cũ superæ potestates unà cum Rege adsunt; cum dæmones uincti, atque incurui; diabolus ipse manibus reuinctis agitur, omneque aduersariorum robur; cum virtutes cœlorum, cum ipse in nubibus aduenit? Credite mihi;

mihi; præ dolore, qui animum meum ex hac narratione occupauit, orationem ad exitum perducere non possum. Cogitemus, quanta priuemur gloria; cum in nobis situm sit non priuari. Hoc enim est, quod maxime angit, hęc pati, cum in nostra potestate sit non pati. Nam cum hos quidem amplectitur, & mittit in cœlos ad patrem; illos uerò omittit; Angeli uerò quidam illos præhendentes in geennę ignem inuitos, flentes, incuruos traxerint, ac tum demum, cum vniuerso orbi spectaculo fuerint; quantum putas doloris hauriri? studium igitur adhibeamus, quandiu tempus est, nostramq; ipsorum salutem solicite curemus: ne posthac huiusmodi quædam dicenda nob s sint, qualia diues ille dicebat: Si quis nunc nos sinat; statueremus ea, quæ in rem nostram essent; sed nullus sinit. Taliaque nos dicturos non solum ex illo, sed etiam ex multis aliis manifestum est: nam, ut hinc etiam discas, quot fuerunt, qui cum febri laborarent, ita dixerunt, si pristinā ualetudinem recuperemus, nunquam posthac in hæc eadem mala decidemus? Multa huiusmodi tunc dicemus: sed audiemus, quę diues ille, magnum hiatū intercedere; hìc nos nostra bona accępisse. Obsecro igitur, amare fleamus; aut potius non tantum fleamus; sed etiam fungamur uirtute. Lugeamus nunc ad salutem; ne ibi tunc frustra lugeamus: ploremus nunc; & tunc non plorabimus ex improbitate. Fletus hic virtutis est; ille uerò inutilis pœnitentiæ. Affligemus nunc nos ipsos; ne tunc affligemur. Multum interest hìc afflictari, & ibi. Nam hìc quidem ad breue afflictaris tempus: potius autem ne sensum quidem afflictationis capis, exploratum habens, afflictari te, ut bene tibi sit. Ibi uerò longe durior afflictatio: nulla enim spe recreatur; neque exitum inuenit, sed infinita ac perpetua est. Vtinam uerò hinc liberati requietem illam consequamur. Sed quoniam, ut ne peccemus, cum assiduo studio, tum assiduis precibus opus est, precemur, & studeamus requietē illam consequi. Studeamus obsecro: nam si studeamus, & precemur, consequemur. Si assidue precabimur, dabit Deus. Sin autem neq; ab ipso petamus; nec quicquam eiusmodi præ-

Luc. 6.

Ne peccemus, et prec. & studio opus est.

prestemus, omninoq; nihil agamus; quì fieri unquam potest; ut dormientes consequamur? planè non potest. Satis enim benè nobiscum agetur; si currentes, nosque ipsos extendentes, & conformes facti morti eius, ut Paulus dicebat, cõsequi potuerimus? tantum abest, ut dormientes.
Cap. 3. [Si quo modo, inquit, occurram.] Quod si Paulus dicebat [si quo modo occurram] quid nobis dicendum erit? Dormientibus enim neq; mundana unquam negocia cõficiuntur. Dormiẽtes ne ab amicis quidem quicquam accipiunt, ne dum à Deo. Dormientibus ne patres quidem honorem habent, ne dum Deus. Paululum laboremus; ut in omne æuũ requiescamus. Omnino ærumnis angamur necesse est; quòd si hìc minimè angamur; id nos ibi manet. Cur non malumus hìc uexari; ut ibi requiescamus? Vtinam uerò nos omnes digne Christo uitam degentes, & cõformes facti ipsius morti, bona illa, quæ oratio assequi nõ potest, consequamur in Christo Iesu Domino nostro, cum quo patri, simulquè sancto spiritui gloria, imperium, honos nunc & semper in secula seculorum, Amen.

SERMO XIIII.



GAVDETE *in domino semper: iterum dico gaudete. Modestia uestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est: nihil soliciti sitis, sed in omni, oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescant apud Deum; Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiet corda uestra, & intelligentias uestras in Christo*
Matt. 5. *Iesu*. Cum Christus dicat, [Beati qui lugent;] & [veh riden-
Luc. 6. tibus;] quid nunc significans Paulus ita inquit; *gaudete in Domino semper?* nõ sane aduersatur Christo, absit. Veh enim Christus dixit ridentibus risum mundi huius; qui ex rebus præsentibus oritur: & lugentes beatos prædicauit, non quouis modo lugentes ex familiarium, ac rerum suarum amissione; sed eos, qui compunguntur; qui sua lugent mala; qui peccata sua expendunt, aut etiam aliena. Non est autem

autem eiusmodi luctui cõtrarium hoc gaudium; quinimo à luctu illo gaudiũ hoc procreatur. Nam qui luget sua mala, & cõfitetur; is gaudebit. Pręterea uerò licet lugere quidem propter peccata sua; gaudere autẽ Christi causa. Quoniam igitur uexabantur rerũ molestarum perpessione, [Vobis enim datum est, inquit, non solum, ut in eum credatis; sed ut etiam pro illo patiamini;] propterea, inquit, *in domino gaudete*. Idem enim significat, ac si dixisset; talem uitæ rationem ostendite, ut gaudendum sit. Quando igitur, quę ad Deum pertinent, nullum apud nos impedimentum habuerunt, gaudete. Ergo uel hoc inquit, uel uocula illa, *in*, valet idem atque, *cum*, idest cum domino semper: *rursus dico gaudete*: hoc ualde fidentis est, atque ostẽdentis, ei, qui in Deo est, semper gaudendum esse; etiam si prematur, ac quiduis patiatur; hic semper gaudet. Audi enim Lucam de Apostolis dicentem, [Ibant gaudentes à conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu uerberibus cędi.] Si uerbera & uincula, quę præ cęteris uidentur molesta, gaudium pariunt; Ecquid tãdem erit aliud, quod nobis afferre dolorem queat? *rursus dico gaudete*: recte uerba ista geminauit; quoniam rerum natura dolorem sanè pariebat; ergo ex ista repetitione ostendit, gaudendum omnino esse: *æquitas uestra nota sit omnibus hominibus*. Dixerat paulo ante, [quorum Deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum; qui terrena sapiunt.] Quoniam igitur uerisimile erat fore, ut hinc Philippenses erga improbos infensum animum susciperent; propterea ipsos iam monet; vt nihil erga illos commune habeant; sed magna cum æquitate utantur non fratribus solum, sed etiam inimicis; & aduersariis. *Dominus prope est; nihil soliciti sitis*: quid enim causæ est, dic mihi, cur concidere animo debeatis? an quòd in uos insurgunt; quodque eos in deliciis degere videtis? Iam imminet iudicium: non longe erit; cum factorum suorum rationem reddent: at uos in angustiis laboratis; illi uerò deliciis diffluunt? iam hæc finem habebunt: at insidiantur, ac minantur? at non isthæc ipsis perpetuo ex sententia succedent; iam imminet iudicium:

Phil. 1.

Act. 5.

tuncque omnia contra erunt, *nihil soliciti sitis*. Iam instat tempus reddendæ mercedis: quòd si erga eos, qui uos molestiis afficiunt, æquitatem animi adhibueritis; omnia euanescent; etiam si paupertas, si mors, si quæuis alia grauis calamitas urget; nihil soliciti sitis, *sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescát apud Deum.* Vna quidem consolatio illa est, [Ero uobiscum omnibus diebus usque ad consumationem seculi;] altera uerò illa, *dominus prope est*: tertia rursus post istam; pharmacum, quod mœrorem omnem, & ægritudinem, molestaque omnia propulsare potest: quæ nam hæc est? precari, gratias agere, quicquid nobis eueniat. Quamobrem preces nostras non nudam petitionem esse vult, sed coniunctam cum gratiarum actione pro iis, quæ accepimus: quomodo enim petet quis futura; qui de pręteritis gratiā non habet? *sed in omni inquit*; idest in omni re: *oratione & obsecratione.* Quamobrem de omnibus gratiæ habendę sunt, etiam de iis, quæ uidentur molesta. Id enim uerè grati hominis est. Illud enim ipsa rerum natura postulat: hoc uerò ab animo grato, ualdeque erga Deum affecto, atque ex illo penitus pendente proficiscitur. Has preces agnoscit Deus; alias uero ne nosse quide vult. Huiusmodi igitur res precemini, quæ agnoscantur. Omnia enim ad nostram utilitatem administrat; tametsi id nos non percipiamus. Atque magnam illa nobis afferre utilitatem id argumēto est; quòd non percipimus: *& pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum, custodiat corda uestra, & intelligentias uestras in Christo Iesu.* Quid hoc est? pax Dei, inquit, quam cum hominibus fecit, omnem exuperat cogitationem. Quis enim expectauit; quis sperauit tanta aduentura bona? humanam omnē excedunt cogitationem, non tantum orationem: pro inimicis suis, pro iis, qui ipsum odio prosequebatur, qui auersabantur, pro iis tradere filium unigenitum non recurauit; vt pacem nobiscum faceret. Hæc autē pax est, idest liberatio, charitas Dei; *custodiat corda uestra, & intelligentias uestras:* Hoc enim præcęptoris est, non tātum monere, sed etiam precari, & per obsecrationem quoque auxiliari; ut neque

Matt. 28.

neque à tentationibus obruantur; neque ab errore circunferantur; perinde ac si diceret; qui uos eo modo liberauit, quem neque mens ipsa assequi potest, is uos custodiat, & muniat, ut nihil patiamini. Vel hoc igitur significat; uel istud, pax illa de qua dixit Christus, [pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis,] ipsa uos custodiet. Hæc enim pax superat omnem humanam mentem: quòd si quæras, quomodo? audi: quando iubet cum inimicis pacem habere, cum iis, qui iniuriã inferunt, qui nos bello persequuntur, qui infestum erga nos animum gerunt; quomodo hoc non superat humanam mentem? imo uerò, si placet, hoc prius attendamus: *pax Dei, quæ exuperat omnem mentem*: si pax superat omnem mentem; multo magis Deus ipse, qui pacem dat, omnem superabit cogitationem non solum nostram, sed etiam Angelorum, & superarum potestatum. Quid autem est, *in Christo Iesu?* In ipso custodiet; ut perseueretis; nec de ipsius fide decidatis. *De cætero fratres, quæcunque sunt sancta, quæcunque uera, quæcunque iusta*: quid significat, *de cætero?* idest omnia iam nobis sunt dicta. Verbum est properantis, & nihil cum rebus præsentibus commune habentis, *de cætero fratres, quæcunque sunt uera, quæcunque sancta, quæcunque iusta, quæcunque pudica, quæcunque amabilia, quæcunque honestæ famæ, si qua uirtus, et si qua laus; hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & uidistis in me*: quid sibi vult, *quæcunque amabilia?* amabilia fidelibus, amabilia Deo, *quæcunque sunt uera*. Hæc enim merito dicuntur uera; idest uirtus ipsa: viciositas autem mendacium est: nam, & uoluptas ipsius comes, & gloria mendacium est; & mundana omnia nihil aliud sunt, quàm mendacium. *quæcunque pudica*: hoc illi opponitur, quod antea dixit, [qui terrena sapiunt;] *quæcunque sancta*: hoc aduersus illud, [quorum Deus uẽter est:] *quæcunque iusta, quæcunque bonæ famæ; si qua uirtus, & si qua laus*: hoc loco vult ipsos ea etiam, quæ ad homines pertinent, curare: *hæc cogitate inquit*. Vides hoc Paulum agere; ut omnem prauam cogitationem ex animis nostris eiiciat. Ex cogitationibus enim prauæ quoque actiones existunt, *quæ et didicistis, & accepistis*. Hæc optima docendi ratio est, se ip-

Io. 14.

Mundana omnia nihil aliud quàm mẽdacium.

sum in omnibus monitionibus formulam prębere; quem-
Philip. 3. admodum & alibi inquit [sicut habetis nos formā]; & rur-
sus hìc, *quæ et didicistis, et accepistis:* idest quę ego uos docui,
& audistis, & uidistis in me; idest quantum pertinet ad uerba,
& actiones, & uitę consuetudinem. Vides ipsum omni de
re hæc præcipere? Quando enim minimè fas est de omni-
bus singillatim minuta quędam pręcepta dare; de ingressu,
de egressu, de uerbo, figura, consuetudine familiari (om-
nia autem hęc Christiano curanda sunt); breuiter, & qua-
si summatim dixit; *in me audiuistis, & uidistis:* perinde ac si di-
ceret; & factis, & uerbis uobis præiui. [† Nihil enim natu-
rę nostræ ęque inimicum est, ac viciositas :] *Hæc agite*, non
dicite solum, sed etiam facite: *et Deus pacis erit uobiscum;* idest
si hæc seruaueritis, & cum omnibus pacem habueritis; in
tranquillo, & tutissimo eritis loco; nihil molesti, quodque
minime uelitis, patiemini. Quandocunque enim nos cum
Deo pacem habuerimus (habemus autem per virtutem)
multò magis ipse nobiscum in pace erit. Qui enim ita nos
amauit; ut uel ad refugientes accesserit; si accurrentes ui-
deat; non ne multo magis suam præ se feret amicitiam?

† *Hæc de suo loco dimota huc uidētur ab imperito librario transposita: cohærerent autē satis apte initio digressionis.*

MORALIS DIGRESSIO.

Nihil nobis æq; inimicum, ac uiciositas.



VAM verò nobis inimica sit uiciositas, & ami-
ca uirtus, multis argumentis cōstat. Ac si vul-
tis, primū id spectemus in uno ex iis, quę con-
traria sunt, idest in scortatione. Scortatio nos
dedecoris plenos, pauperes, ridiculos facit, ac
tales reddit, qui ab omnibus contemnamur: Hæc uerò
facere inimicorum est. Sæpe autem hæc, & morbos, & pe-
ricula affert. Multi uerò etiam scortorum causa perierunt,
& vulnera acceperunt. Quòd si scortatio hęc affert; multo
magis adulterium. Num igitur eodem modo eleemosyna?
neutiquam; sed perinde atq; tenera mater filiolo, magnam
venustatem, decus, gloriam conciliat; facitque necessariis
muneribus obeundis uacare: nō sinit nos languescere, ne-
que à necessariis abducit; sed animum prudentiorē etiam
reddit.

reddit. Scortatoribus enim nihil imprudẽtius. Sed uis ne auaritiam inſpiciamus? & hęc eodẽ modo erga nos affecta eſt; quo inimici ſolent: quomodo? odium & hæc nobis ab omnibus cõciliat; facitque ut omnes nos execrentur non ſolum illi, qui iniuriam acceperunt; ſed etiam, qui non acceperunt: nam & illorum vicẽ dolent, & ſibi ipſis metuunt: quamobrem ueluti communes quoſdam hoſtes intuẽtur, veluti feras, ueluti dæmonas. Sexcentæ undiq; accuſationes, inſidiæ, obtrectationes: quæ quidẽ inimicorum ſunt. Contra autem iuſtitia omnes amicos, omnes uſu coniunctos, omnes beneuolos nobis facit: ab omnibus preces pro nobis funduntur: ita ſtatus noſter in tuto collocatur; nullũ periculũ, nulla ſuſpicio: ſed & ſomnus ſecuritatis plenus aduenit; nulla ſolicitudo; nullus eiulatus. Vides hanc longe meliorem eſſe? Quid? dic mihi, ſatius ne eſt inuidere; an gratulari, & alienæ lętitiæ participem fieri? Hæc omnia expendamus; ac ſane inueniemus uirtutem quidẽ, ut matrem uerè amantem afferre ſecuritatem, atque in tuto collocare; vicioſitatem uerò coniicere in pericula: res enim omnino eſt periculorum plena. Audi prophetam dicẽtem [Firmamentum eſt dominus timentibus eum; & teſtamen tum ipſius manifeſtabit ipſis.] Neminẽ timet; qui nullius *Pſal. 24.*
criminis ſibi eſt conſcius. Nemini cõtra fidit; qui cum improbitate uiuit; ſed famulos etiã metuit; eoſque cum ſuſpicione intuetur. Ecquid dico famulos? conſcientiæ ipſius tribunal ferre non poteſt: non ſolum quæ externa ſunt, ſed internæ etiam ratiocinationes ipſum fodicant, nec quieſcere unquam ſinunt. Ergo, inquies, ita oportet viuere, vt laudem ſpectes? non dixit Paulus, ad laudem ſpecta; ſed fac laudabilia, non ſpectans ad laudem: *quæcunque uera, inquit*, Mendacium enim iſta ſunt: *quæcunque ſancta*: uox iſta σεμνὸν ideſt grauitas, & ſanctitas morum indicat; quid in externis etiam actionibus, ac moribus prȩſtandum ſit: pudicitia uerò animæ propria eſt: [nemini, inquit, date ullam offenſionem, neque occaſionem.] Quoniam dixerat, *2. Cor. 6.*
quæcunque bonæ famæ, ne exiſtimes ad homines tantum ſpectaſſe; addit. *Si qua uirtus, & ſi qua laus, hæc cogitate, hæc agite*:

perpetuo vult nos in his esse, hæc curare, hæc cogitare. Nam si nobiscum ipsi pacem seruemus; Deus etiam nobiscum erit: sin bellum excitemus; Deus pacis minimè nobiscum erit. Nihil enim æque hostiliter aduersatur animę, ac viciositas; & nihil uicissim æque illam in tuto collocat, ac pax, & uirtus. Quamobrem incipiamus nostra præstare; tuncque Deum ad nos alliciemus. Deus non est belli, & pugnæ Deus. Depone igitur bellum, & pugnam, cum erga Deum, tum erga proximum: pacificus esto erga omnes. Cogita qualis cum esses, salutem tibi Deus dedit.

Matt. 5. [Beati, inquit, pacifici, quoniã ipsi filii Dei uocabuntur.] qui tales sunt; perpetuo filium Dei imitantur: eundem tu quoque imitare: pacem serua: quanto enim magis oppugnabit te frater; tanto maior erit merces. Audi Prophetam

Psal. 119. dicentem; [cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus:] Hoc uirtus est; hoc humana ratiocinatione maius: hoc nos prope Deum ponit. Nihil æque Deum lętificat, atque iniuriarum immemorem esse. Hoc te à peccatis liberat; hoc delet crimina: quòd si pugnemus, ac luctemur; lõgè à Deo abimus: ex pugna enim inimicitiæ existunt; inimicitias sequitur iniuriarum memoria, & ulciscendi cupiditas. Excide radicem; & non erumpet fructus: ita discemus ea, quæ ad præsentem uitam pertinent, despicere. Non enim est, non est in rebus spiritalibus pugna: sed quicquid eiusmodi videas exoriri, uel pugnas, uel inuidiam, siue quiduis aliud; rerum ad hanc uitam pertinentium causa exoriuntur. Nã uel ab alieni cupiditate, uel ab inuidia, uel ab inanis glorię studio initiũ sumit omnis pugna. Quamobrem si pacem seruauerimus; terrena etiam despicere discemus. Eripuit quis pecunias? sed nihil læsit, inquies; dummodo superas illas diuitias ne eripiat: impedierunt gloriã tuam? at non eam, quæ apud Deum est, sed leuem hanc, & nullius ponderis. Non enim hęc gloria est; sed nomen gloriæ, ac potius obscuritas: eripuit tibi honorem? imo non tibi, sed sibi ipsi. Nam quemadmodum qui iniuriam facit; non facit, sed accipit: ita qui proximo insidias parat; seipsum

Psal. 7. primum perdit. Nam qui fodit proximo suo foueam, in ipsam in-

Nihil æq; Deo accæptũ, atque iniurias obliuisci.

ſam incidit. Ergo nō inſidiemur alteri; ut ne nobis ipſi noceamus: cum alterius gloriam interuertimus; cogitemus nos ipſos eſſe, quibus noceamus, atque inſidias tendamus. Nam ei quidē, ſi nos plus potuerimus, apud homines fortaſſe nocemus; nos autē ipſos apud Deum lędimus, ipſum irritantes. Itaque non nobis ipſi noceamus. Nam quemadmodum iniuriam proximo facientes, nobis ipſi facimus; ita ei benefacientes, nobis ipſis benefacimus. Cū tibi damnum attulit inimicus; cogitans beneficiū potius, ſi ſapias, tibi contuliſſe; non modo par illi damnum nō inferes; ſed etiam benefacies: at manet, inquit, uehementer inflicta plaga: Fac igitur hoc tecum cogites, nō illum eſſe, cui benefacias; ſed potius de illo quidem te ſupplicium ſumere, tibi uero benefacere; ac cito huc adduceris, ut benefacias. Quid igitur? iſtū ne in benefaciēdo ſcopum, ac finem proponere tibi debes? non ſane iſtum. Sed quādo cor tuum aliter flecti non poteſt; uel hac ratione ipſum adducito; ac breui ipſi perſuadebis deponere ſimultatem; & inimico poſthac, tanquam amico benefacies; & futura cōſequeris bona; quibus utinam nos omnes fruamur gratia, & humanitate Ieſu Chriſti domini noſtri; cum quo patri, ſimulque ſpiritui ſancto gloria &c.

S E R M O X V.



AVISVS ſum in domino uehementer, quoniam aliquando tandem refloruiſtis pro me ſentire; ſicut & ſentiebatis: occupati autem eratis: non quaſi propter penuriam dico. Ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari: ſcio & abundare: ubique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me cōfortat, Chriſto. Veruntamen benefeciſtis, communicantes tribulationi meæ. Sæpe dixi eleemoſynā non accipientium, ſed dantium cauſa introductam eſſe. Nam illi ſunt, qui maximum quęſtū faciunt. Hoc & nunc oſtendit Paulus: quomodo? Miſerant ad eum quædā longo in-

go interuallo Philippenses; eaque ipsa Epaphrodito ad ipsum perferenda dederāt. Istum igitur cum hac Epistola remissurus, uide quomodo, & ipsos laudet, & ostendat non tam ad accipientium, quàm ad dantium utilitatē id redundasse: hoc autem facit, vt neq; qui benefaciunt, in superbiā extollātur, sed ad benefaciendū alacriores, fiant; quippecū se ipsos magis iuuent; & qui accipiunt, non licenter procurrant ad accipiendū; ut ne iudicium accipiant: [beatum

Act. 20.

enim inquit, est magis dare, quàm accipere.] Quid ergo significat, dum dicit, *gauisus sum autem in domino uehementer?* nō mundi, inquit, atque huius uitæ more gauisus sum; sed in domino; non quoniā ego respiraui; sed quoniam uos profecistis. Hæc enim mea relaxatio est: propterea etiam inquit, *uehementer*; quoniam non erat corporeum gaudium; neque pro sua ipsius relaxatione gaudebat, sed pro illorum profectu. Et uide, quomodo cum illos non nihil de præterito tempore obiurgasset; continuo id occultauerit, cōdocefaciens assidue, & perpetuo uersari in benefaciēdo: *quoniam tandem aliquando, inquit:* illud *tandem aliquando*, lōgum tempus indicantis est: *refloruistis:* quasi de arboribus germinantibus, deinde arefactis, ac rursus germinantibus. Hoc verò indicantis est, illos cum antea florerent, ac postea extabuissent, rursus vigere, ac germinare cępisse: quamobrem vox ista, *refloruistis*, & obiurgationē, & laudem habet. Non enim parum est, cum extabueris, reflorere. Totum verò id ex negligentia illis accidisse ostendit: *pro me sentire*; *sicut & sentiebatis*. Hic ostendit consuesse illos in huiusmodi rebus liberaliter se gerere: propterea addit, *pro me sentire, sicut & sentiebatis*. Ac ne putes ipsos etiā cæteris in rebus, cum promptiores essent, postea extabuisse; sed in hac sola; vide quàm huic loco cauet, ita dicens, *tandem aliquando refloruistis pro me sentire*; perinde ac si diceret: de hac sola re illud, *aliquando tandem*, accipi uolo: in cęteris enim rebus non ita. Sed quęret hic quispiā cur dicens: [beatum est magis dare, quàm

Act. 20.

accipere:] & [quoniam ad ea, quę mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus meæ:] & rursus ad Corinthios scribens dicat, [bonum est enim mihi magis mo-

gis mori, quàm vt gloriam meā quis euacuet;] nunc non curet gloriam istam suam euacuari, & ad nihilum recidere: quomodo? nimirum, dum accipit. Nam si gloria, inquit, mea hæc est, nihil accipere: quomodo nunc eò adducitur? Quid ergo est? ibi iure optimo non accipiebat pseudapostolorum causa, [ut in quo gloriantur, inquit, inueniantur, sicut & nos:] non dixit [sunt] sed [gloriantur;] hinc ostendens illos accipere quidem solitos, sed clam: propterea dixit, [in quo gloriantur.] Accipiebat autem & ipse; tametsi non ibi: propterea ipsemet dicebat, [non infringetur gloriatio mea;] & non solum dixit [non infringetur;] sed exponit etiam, ubi; dicens, [in regionibus Achaiæ:] & rursus, [alias Ecclesias expoliaui accipiens stipendia ad ministerium uestrum.] Hoc enim indicantis est, se accipere solitum. Sed Paulus quidem meritò accipiebat, sicubi accipiebat, tantum operis habens. Sed qui nihil agunt; quomodo possunt accipere? at preces, inquiunt, fundo. Sed non hoc est opus. Licet enim id etiam simul cum opere facere: at ieiuno: sed neque hoc opus est. Vide beatum hunc multis locis prædicantem, & operantem. *Occupati enim eratis, inquit:* quid est, *occupati eratis?* non id, inquit, uestræ negligentiæ erat, sed necessitatis: non enim habebatis in manibus; non abundabatis: hoc enim significat, *Occupati autem eratis:* idque ex communi loquendi consuetudine accepit. Ita enim plerique dicunt, cum non sibi satis ampla res est, sed in angustiis uersantur, *non quasi propter penuriam dico.* Dixi, inquit, *aliquando tandem*, vosque obiurgaui; non quòd rem meam quærerem, neque ideo, quòd egerem; non enim propterea quærebam. Sed unde ostendes Paule hanc non esse magnificorum uerborum pompam? Corinthiis quidem igitur ita dicebat, [Non enim alia scribimus uobis, quàm quæ legitis, aut etiam cognoscitis:] Atque istis etiam non ita dicebat; ut refelli posset. Non igitur, si se magnifice iactare uoluisset; hæc diceret: apud eos enim, qui norant; dicebat; ubi etiam argui turpius fuisset. *Ego enim didici, inquit, in quibus sum, sufficiens esse.*

Ergo

1.Cor. 9.
2.Cor. 11.
Ibidem.
2.Cor. 1.

Ergo disciplinæ res est,& exercitationis,& curę: non enim facilis est ad consequendum; sed ualde difficilis, ac multo cum labore cōiuncta: *in quibus sum, inquit, sufficiēs esse: scio et humiliari: scio et abundare: ubique et in omnibus institutus sum*: idest & paucis cōtentus esse scio,& famē ferre,& egestatem, *et abundare*: næ inquiet quispiā: sed hoc scientię non est, neq; uirtutis, abundare: imo uerò maximè uirtutis est, nec minus, quàm illud: quomodo? quoniam quemadmodum egestas ad multa mala facienda adducit; ita, & abundantia. Multi enim sæpe, cum ad hanc rerum affluentiam peruenissent; socordes facti sunt, prosperitatemque ferre nescierunt. Multis rerū copia occasionem cessandi dedit. Nō ita Paulus. Nam cum acciperet; in alios insumebat,& effundebat. Hoc autē est scire uti re. Non remittebat diligentiā suam, non de abundantia sua lętabatur; sed eundem se pręstabat in egestate,& abundantia, neque inde oppressus, neq; hinc inflatus: scio, inquit, *& satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati*. Multi sunt, qui nesciunt saturari: quemadmodum Israelitę. Illi enim comedebant, & calcitrabant: sed eandem, inquit, moderationē, ac decorum seruo. Ostendit neque nunc se uoluptatem, neque antea dolorem cæpisse; aut si cęperit, non sua ipsius, sed ipsorum causa. Ipse enim eodem se habebat modo. *Vbique enim, & in omnibus institutus sum*; idest in hoc longo tempore omnium rerum experientiam cępi; atq; hæc omnia mihi benè processerunt. Sed quoniam id magniloquētiam redolebat; uide quo pacto quàmprimum corrigat. *Omnia, inquit, possum in eo, qui me confortat, Christo*. Non hoc, inquit, meum benefactum est; sed eius, qui uires dat. Sed quoniam, qui benefaciunt, si uideant eum, qui accipit, non ualde affici, sed despicere ea, quæ dantur; negligentiores fiunt (tunc enim libenter dant, cum putant se gratum accipienti facere, illumq; recreare) itaque si hoc solatium despicit Paulus; necesse est & hos negligētiores fieri; igitur ne hoc accidat; uide quomodo rursus huic rei medeatur. Nam ex iis, quæ dixerat, ipsorum spiritus compręsserat: in sequentibus uerò alacritatem ipsorum incitat, atque inflammat dicens, *ueruntamen*

Maxima scientia est scire abundātiam ferre.

bene-

bene fecistis communicantes tribulationi meæ. Vides, quomodo se ipsum segregauerit; & quomodo rursus coniunxerit? hoc germanæ, & spiritalis amicitię est. Non enim quoniam, inquit, necessitate minime pręmebar, ideo putetis me rebus uestris non eguisse: egeo propter uos: quomodo igitur ærumnarum ipsius participes fuerant? per hoc officium: quod etiam de uinculis, in quibus erat, dicebat, [socios gratiæ meę omnes uos esse:] gratia enim est pati pro Christo; quemadmodum & alicubi ipse inquit [quia à Deo uobis gratia data est nō solū, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.] Quoniā enim illa nude dicta, apta erāt, quæ ipsis dolorem facerent: propterea fouet, & complectitur, & laudat: uerum & hoc moderate: non enim dixit, [dantes] sed *communicantes*; undique ostendens ipsos etiam lucrum fecisse; quandoquidem premiorum facti erant participes. Non dixit leues reddentes ęrumnas meas, sed *communicantes tribulationi meæ*: quod quidem grauius, ac decētius erat. Vides Pauli humilitatem? uides animum generosum? Postquam ostendit se illorū opibus sua causa minime egere; tunc iam fidenter humilia etiam profert uerba, atq; ad ea descendit, quibus mendici utuntur, [quæ tua est dandi consuetudo.] Nihil enim recusat uel facere, uel dicere, dummodo, quod vult, recte cōficiat. Quid autem hoc est? ne putetis, inquit, impudentię fuisse uerba; quòd obiurgarim, ac dixerim, [aliquando tandē refloruistis,] neque etiam necessitatis: non enim quòd egeam, hæc dico; sed quid? eo quòd uobis ualde confidam; atque huius fidentię vos autores estis. Vides quomodo ipsos curet & leniat? in vobis, inquit, causa est; qui ante alios ad hanc rem accurritis, ac nobis fidentiam datis, ut res huiusmodi uobis in memoriam redigamus. Et uide grauitatem: dum non mittunt; minime obiurgat; ne uideatur suam causam agere: postquam uerò miserant; tunc eos de præterito tempore obiurgauit: atque illi ęquo animo tulerunt. Iam enim minime uidebatur suum negocium gerere. *Scitis, inquit, & uos Philippenses, quòd in principio Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati, et accæpti,*

Philip. 1.

Ibidem.

 nisi

nisi uos soli. En quantũ encomium: quandoquidẽ Corinthii, itemq; Romani, eò quòd isthęc ab ipso audisset, inuitãtur: hi uerò cũ nulla adhuc Ecclesia cępisset: inquit .n. *in principio Euang*. tantam erga sanctũ hunc ostenderunt animi propensionem, ac studium; vt cum nullum exẽplum propositum haberent; ipsi primi huic ferendo fructui initium darent. Neque dicendum est hæc illos fecisse; quòd Paulus apud se maneret; atque beneficiorum causa, quæ ab ipso acciperent: inquit enim, *quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati, & accepti, nisi uos soli*. quid est? *accæpti*? quid uerò est, *communicauit*? cur non dixit, nullam sibi Ecclesiam dedisse; sed *communicauit in ratione dati, & accæpti*? res enim hæc communicatio quædam est. Nam
1. Cor. 9. [si nos, inquit, uobis spiritualia seminauimus, quid magnum, si nos carnalia uestra metemus?] & rursus, [uestra
2. Cor. 8. abundantia ut illorum inopiam suppleat.] Vides, quomodo communicauerint in ratione dati, dando carnalia, & in ratione accępti, accipiẽdo spiritalia? Etenim quemadmodum vendentes, & emẽtes inter se communicant, alter ab altero vicissim accipiens, & dans (hoc enim est communicatio); ita sane & in hac re. Nihil enim, nihil hac negociatione, & mercatura est quęstuosius: nam fit quidem in terra; perficitur autem in cœlo. Et emptores quidem in terra sunt; emunt verò, & paciscuntur ea, quæ in cœlis, terreno deposito prætio. Verũ ne desperet quispiam: non sunt cęlestia pecuniis proposita uenalia: nõ illa pecunię emunt; sed electio, atque animus hominis pecunias proiicientis, sed philosophia, sed superiorem rebus ad hanc vitam pertinentibus esse, sed humanitas, sed misericordia: Cęteroqui, si argento emerentur; quę duo minuta proiecit; nihil sanè magnum accępisset: nunc quoniã non argentum, sed electio hanc uim habebat; omnem illa certi animi propensionem afferens, omnia accępit. Itaque minime dicamus, pecuniis uenale propositum esse regnum: non enim pecuniis; sed electioni, ac deliberatæ rationi, quæ per pecunias patefit. Ergo opus est, inquis, diuitiis: non diuitiis opus est, sed certa uoluntate. Si hanc habeas; vel duobus minutis

Quo prætio ematur coelum.

Luc. 21.

minutis poteris regnum emere; sin minus; neque mille auri talenta tantundem poterunt, ac duo minuta possunt. Cur? quoniam cum multa habens pauciora dedisti; eleemosynam quidem fecisti, sed non tantam, quantam uidua illa. Non enim tãtam abhibuisti alacritatem, & animi propensionem, atque illa. Illa enim omnia sibi abstulit; potius autẽ non abstulit; sed omnia sibi ipsi donauit: nõ enim aureo talento regnum pactus est Deus, sed animi propensione; non morte, sed electione: non enim ualde magnum est, animam dare. Quid enim est? unum hominem dedit? vnus autem homo non par precium est: *quia & Thessalonicam semel, & bis in usus mihi misistis:* rursus magnum encomium; quando quidem, cum in metropoli esset, ab exigua tamen ciuitate alebatur. Et vide; ne perpetuò se ex necessitate eximens, ipsos, quod antea dicebam, negligentiores redderet, cum tot modis ostendisset se non egere; nunc ex hoc solo id manifestum fecit, ita nimirum dicens, *in usus*: non enim dixit, *meos*, sed tantum, *in usus*, grauitatis scilicet, & decori rationem habens; quin nõ ex hoc solo, sed etiam ex eo, quod sequitur. Nam quoniam id humile quiddam esse non ignorabat; rursus correctione quadam communit: *Non quòd quæro, inquit, datum*: quod antea dixerat: *non quasi propter penuriam dico*, idem significans; quanquam illud maius est, quàm hoc; aliud enim est, cum desit, non quærere; aliud, cum desit; ne deesse quidem putare: *non quòd quæro, inquit, datum; sed requiro fructum abundantem in rationem uestram, non meam*: vides fructum illis colligi? non mea, inquit, causa, sed uestra hæc dico; ad uestram salutem. Ego enim dum accipio; nihil lucror. Gratia dantium est: dantibus enim illhìc est reposita merces: accipientibus verò hìc consumuntur, quæ accipiunt: rursus cum encomio, & quodam egestatis sensu. Nam quoniam dixerat, *non quæro*; ne rursus negligentiores faciat; inquit. *recepi autem omnia; & abundo*; idest per hanc dationem, quæ etiam omissa fuerant, expleuistis: quod illorum maxime incitare alacritatem poterat. Nam qui benefaciũt; quanto maiores in philosophia progressus fecerunt; eo magis

cupiunt eos, quibus benefecerunt, esse gratos: *recepi omnia, & abundo*, perinde ac si diceret; non solum quæ præterito tempore omissa fuerant, expleuistis; sed etiam maiorem in modum expleuistis; atque exuberastis. Deinde ne hoc illis exprobrare uideatur; uide, quomodo locum muniat: quoniam dixerat, *non quòd quæro datum*, & *tandem aliquãdo*; & ostenderat debitũ id fuisse (hoc enim significat, ἀπέχω, idest recipio quasi censum, & fructus ex agro); rursus ostendit ipsos supra ac deberent, præstitisse, & inquit: *recepi autem omnia & abundo: repletus sum*: nõ absque causa, neque ex animi inductione hæc dico; sed quid? *accæptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suauitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo.* En quò istorum munus euexit: non ego, inquit, accepi, sed Deus per me: quamobrem tametsi non egeam, non hoc tamen spectate: nam neque Deus egebat; ac tamen accępit; adeo ut diuina scriptura nõ reformidarit dicere, [odoratus est dominus odorem suauitatis;] quod sane lętantis est: nostis enim, nostis, quãtum ex odoris suauitate afficiatur anima nostra, quantum iucunditatis, & uoluptatis capiat: non ergo recusauit scriptura uerbũ adeo humanum, atque humile Deo tribuere; ut hominibus ostenderet accępta ipsorum dona fuisse: non enim nidor, neque fumus accępta faciebat, sed animus, qui offerebat: alioqui Cain etiam dona fuissent accępta. Dixit igitur lætatum quoque Deum esse; & quomodo lętatur? non enim aliter homines loqui didicerunt. Ergo qui nullius rei est indigus, dicit valde se lætari; ut ne ex eo, quòd non egeret, negligentes fiant. Cum uero sequenti tempore cęteræ uirtutis obliti, his solis hostiis cõfiderẽt; uide, quomodo rursus ipsos corrigit, dicens, [nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?] Hoc & Paulus inquit, *Non quæro, inquit datũ* [*Deus aũt meus impleat omnem necessitatẽ uestram secundum diuitias suas in gloria in Christo Iesu*. Vides, quàm etiam pauperum more bene precetur. Quòd si Paulus bene precatur dãtibus; multo minus nos hoc facere erubescamus, cum accipimus: nec uerò accipiamus, tanquam ipsi egeamus; neque nostra causa gaudeamus, sed ipsorum dãtium. Ita &

Gen. 8.

Psal. 40.

Ita & nobis erit merces, & accipientibus, si ipsorum causa lætemur: ita neque indignabimur, cum non dederint; sed potius illorum uicem dolebimus: Ita etiam alacriores reddemus; si doceamus non nostra causa hæc à nobis fieri. *Deus autem meus, inquit, impleat omnem necessitatem uestram*, aliàs πᾶσαν χάριν, vel πᾶσαν χαρὰν, idest omnem gratiam, uel omne gaudium. Ac si quidem legatur [omnem gratiam;] hoc significat non hanc solam eleemosynam, quæ in terra; sed omne benefactum: sin, quod magis puto [omnem necessitatem]; hoc est quod significare vult: Quoniam dixerat; [occupati eratis]; subiungit hìc, quod etiam facit in Epistola ad Corinthios dicens, [qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum, præstet, & multiplicet semen vestrum, & augeat germina frugum iustitiæ uestrę.] 2. Cor. 9. Nam & his hoc precatur, ut abundent, & habeant; unde seminent; & precatur; non ut quouis modo abundent; sed *secundum diuitias suas*: quamobrem & hoc moderate fecit. Ná si Paulo similes omnino fuisset, adeo philosophi, adeo crucifixi; nó hoc sanè fecisset: sed quoniam homines erant opifices, pauperes, uxores habebant, filios alebant, patres familias erant; atque ex tenuitate sua tamen hęc dederant; quadamquè rerum præsentium cupiditate minime carebant: ita precatur, ut se ad illorum captum demittat. Iis enim, qui hoc modo uterentur, nihil absurdi tantum precari, quantum illis satis sit, atque ut abundent. Vide igitur, quid precetur: non dixit, faciat diuites, ac ualde opulentos; sed quid? *impleat omnem necessitatem uestram*; ut ne egeatis; sed habeatis, quę uobis opus sunt; quoniam & Christus formulam nobis precandi tradens, hoc precationi adiecit, docens ita dicere, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Matt. 6. *Secundũ diuitias suas*; idest pro magnificentia sua, idest quæ ipsius potentia est; ut facile & cito possit facere. Ac ne existiment, quoniam dixit, *necessitatem*, fore, vt in angustias cõcludantur; propterea addidit, *secundum diuitias suas in gloria, in Christo Iesu.* Ita abundabunt, inquit, uobis omnia; ut in gloria ipsius sitis habituri. Vel igitur hoc sibi vult, fore, vt nullius rei egeant. [Gratia enim inquit, magna erat in omni-

Act. 4. omnibus illis; neq; enim quisquam egens erat inter illos;] vel ut ad ipsius Dei gloriam omnia faciant: ut ad ipsius gloriam copiis suis utantur. *Deo autem & Patri nostro gloria in secula seculorum Amen*. Hæc autem gloria non filii solum, sed etiam patris est. Nam dum tribuitur filio gloria; tribuitur quoque patri. Etenim quoniam dixerat in Christi gloriam id fieri; ne quis putet ipsius tantum, addidit, *Deo autem, & patri nostro gloria*, hæc ipsa nimirum, quæ data est filio. *Salutate omnem sanctum in Christo Iesu*. Non leue, & hoc: magnæ enim beneuolentiæ est per literas etiam ipsos salutare. *Salutant uos, qui mecum sunt, fratres*. Attamen dicebas [neminem habeo unanimem, qui sincera affectione pro uobis solicitus sit:] quomodo igitur nunc dicis, *qui mecum sunt fratres?* hos, qui cum ipso sunt, fratres uocat, ostendens, uel quòd antea dixerat [neminem habeo unanimem] nō ad eos pertinere, qui in urbe erant (quę enim illis necessitas imposita erat, ut Apostolica negocia susciperent?) uel neque etiam recusare; quin hos fratres uocet. *Salutant uos omnes sancti; maxime autem, qui de Cæsaris domo sunt. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis*. Erexit ipsos, & confirmauit, ostendens ad regiam etiam domum peruenisse prædicationem. Nam si, qui in regiis, omnia propter cœlorum regem despexerant; multo magis id faciendum ipsis erat. Atque hoc etiam indicium erat Pauli charitatis, tam multa, & magna de ipsis narrare; ut hinc, qui in regia erant, ad eos salutandos amore adducerentur, quos nunquam viderant. Maxime enim, quoniam uexabantur fideles, magna tunc uigebat charitas: quomodo? nam qui longè inter se distabant; sibi tamen uicissim coniuncti erant: & qui procul aberant; perinde ac prope essent, inter se salutabant; & singuli erga singulos ueluti erga sua membra afficiebantur: æque pauper erga diuitem, ac diues erga pauperem; neque ulla agnoscebatur præstantia; quòd omnes æque in odio essent, atque eiicerentur; iisdemque de causis. Quemadmodum enim, si ex diuersis ciuitatibus captiui quidam profecti, in eandem ueniant

Psal. c. 2. (margin note beside "bas [neminem habeo unanimem")

niant ciuitatem, ualde se inuicem complectuntur, communi illos consociante calamitate; ita etiam tunc societate incommodorum, & asperitatum eos cōiungente, magnam sibi mutuo caritatem pręstabant.

MORALIS DIGRESSIO.



ERVMNA enim, & tribulatio uincutū quoddam firmissimum est, charitatis accretio, compunctionis, & pietatis occasio. Audi enim dicentem Dauidem [bonum mihi domine, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas:] & iterum alium prophetam dicentem [bonum est uiro cum portauerit iugum ab adolescentia sua:] & rursus, [beatus homo, quem tu erudieris domine;] & alium quendam, [disciplinam domini ne despicias;] & [accedens ad seruitutem domini, præpara animam tuam ad tentationem.] Et Christus rursus discipulis suis dicebat, [in mundo pressuram habebitis, sed confidite:] & rursus, [plorabitis, & flebitis uos, mundus autem gaudebit:] & rursus, [angusta, & arcta uia.] Vides ubique laudari tribulationem? ubique commendari, tanquam eam, quæ nobis sit necessaria? Nam si in mundanis certaminibus sine ea nemo coronam accipit, nisi & laboribus, & ciborum abstinentia, & tota uictus ratione, & uigiliis, & sexcentis aliis incommodis se munierit; multo magis hic. Quem enim mihi afferes? regem ne? at neque ille uitam curis solutam uiuit, sed multis molestiis, atque angoribus refertam. Non enim ad diadema spectes; sed ad solicitudinum procellam; unde illi tumultus maximus exoritur: non ad purpuram, sed ad animam illa ipsa purpura nigriorem. Non æque corona ligat caput, atque animam solicitudo: non ad satellitum numerum specta; sed ad egritudinum multitudinem: nullam enim priuatam domum tot curis abundantem reperias, quot regiam.

Commendatio tribulationum.

Psal. 118.

Thr. 3.

Psal. 93.

Prouer. 3.

Eccles. 2.

Io. 6.

Matt. 7.

Miserabilis est regiæ uitæ cōditio.

Mortes

Mortes singulo quoque die imminentes à suis etiam ipsis: & ante mensam, & ante poculum ob oculos uersatur sanguis. Noctu uero, dici non potest, quàm sæpe somniis, ac uisis excitati prosiliant; atque hæc in pace: quòd si bellum ingruat; eo magis solicitudines intenduntur. Quid igitur tali uita fieri miserabilius potest? Adde quæ à suis, quos in ditione sua tenet: deniq; cognato sanguine redundat semper regale pauimentum. Ac si vultis, narrabo etiam quædam; & continuo id ita esse intelligetis. Ac potissimum quidem vetera dicam; quæ tamen adhuc memoria non exciderunt, sed & nonnulla, quæ nostris contigere temporibus. Quidam, vt aiunt, vxorem, de cuius adulterio suspicabatur, nudā alligauit montibus; ac feris exposuit, matrem iam sibi factam regum multorum. Quam illum putatis uitam uixisse? non enim nisi illum ægritudo exedisset, ad tantum supplicii sumendū descendisset. Hic uerò idem suum ipsius filium interfecit; aut potius huius frater seipsum cum filiis suis. Fertur autem hic & fratrem suum è medio sustulisse; atque hic quidem sibi ipse manus attulit à tyranno compræhensus; ille verò sobrinum suum unà secum participem regni, quod ipse illi tradiderat. Alius autem uxorem uidit medicamentis è medio sublatam. Quoniam enim parere minime poterat; mulier quædam infelix, & misera, (infelix enim, & misera est, quę quod à Deo donandū erat, sua se credidit sapientia præstituram); præbitis medicamentis, & reginam interemit, & ipsa simul interiit. Alius autem postea pharmacis uenenatis sublatus est; poculumque ipsi fuit non iam potus, sed mors. Et ipsius etiam filio oculi sunt effossi, metu sequētis temporis plane immerenti. Alius uerò neque quam ob causam, nec quàm miserabiliter è vita excesserit, exponere satis honestum est. Eorum uerò, qui successerunt, alter quidem perinde, atq; infimus quidā, & ęrumnosus homo esset, combustus est cum equis, & trabibus, cęterisque rebus omnibus; & uxorem uiduam reliquit: quas enim molestias in vita habuerit; ne dici quidem potest; quas ex eo tempore, quo seditionem mouit, subire coactus est: Alter uerò, qui nunc

Vide notationes.

nunc rerum potitur; non ne ex quo diadema gestat, perpetuo uersatur in laboribus, in periculis, in molestiis, in mœroribus, in calamitatibus, in insidiis? At non huiusmodi cœlorum regnum; sed postquam ipsum obtinueris, pax, uita, gaudium, lætitia. Cęterum, quod dicebam, nulla hìc uita est ærumnarum expers. Quòd si in rebus etiam publicis regalis illa conditio, quæ omnium beatissima videtur, tot redundat calamitatibus; quid putas in priuatis, ac domesticis? profecto quot alia mala existant, ne dici quidem potest: multæ hinc sæpe fabulæ compositę sunt. Omnes fere tragędię, & fabulæ, quę aguntur in scęna, ex regibus contextę sunt. Pleraque enim, quæ in fabulis repręsentantur, ex ueris rebus constant. Ita & uoluptatem habent thyestæa conuiuia; omnisque illa domus calamitatibus euersa est. Sed hæc quidem ex Ethnicorum libris cognouimus. Verum si vultis, scripturas etiam, quę idem doceant, proferemus. Saul primus regnauit: nostis autem & hunc sexcētis pressum ęrumnis interiisse. Post illum Dauid, Salomon, Abias, Ezechias, Iosias itidem multis modis uexati. Nefas enim omnino est uitam hanc sine laboribus, sine ægritudine, sine ærumnis ducere. Ergo & nos etiam molestiis afficimur; sed non iisdem ex rebus, ex quibus reges; sed unde magnum etiam facere possumus quęstum: [quę enim secundum Deum tristitia est; pœnitentiam in salutem stabilem operatur.] Pro his rebus męrendum est; pro his dolendum; pro his ęgritudo suscipienda. Ita mœrebat Paulus: ita lugebat; pro iis, qui peccabant. [Ex multa enim, inquit, tribulatione, & angustia cordis scripsi uobis per multas lachrymas.] Nam quando nihil erat, cur pro suis lugeret; pro alienis hoc faciebat: uel potius, quantum ad luctum hauriendum pertinet, communia illa ducebat. Cęteri incidebant in scandalum; & ipse vrebatur: cęteri languebant; languebat, & ipse. Bona est hæc ægritudo; hæc omni mundano gaudio potior. Eum, qui ita lugeat, omnibus ego hominibus præpono: atque adeo ipse etiam dominus hos beatos prędicat; hos, qui alienum dolorem, ut sibi communem lugent. Non

2. Cor. 7.

2. Cor. 2.

ęque ego Paulum ob pericula adita suspicio: suspicio quidem & ob illa ipsa, in quibus quotidie commoriebatur: sed hoc, inquam, me magis euehit. Ab anima enim Dei amante, & tenera proficiscebantur; à charitate, quam Christus ipse quærebat; ex quodam naturæ consensu fraterno, & patrio, ac potius utrisque istis maiore. Hoc modo affici oportet; hoc modo flere. Huiusmodi lachrymæ magno sunt refertæ gaudio. Huiusmodi luctus causa lætitiæ est. Ac ne mihi dicas, quid utilitatis afferunt meæ lachrymæ iis, pro quibus hoc facio? Nam etsi illis nihil prosimus; ac certè nobis ipsis proderimus. Nam qui sic pro alienis dolet; multò magis pro suis dolebit: qui aliena luget; is certe uitia, & prolapsiones suas non sine lachrymis abire sinet; ac potius haud citò peccabit. Nos verò, quod omnium grauissimum est, iussi aliena peccata flere, ne in nostris quidem ullum pœnitentiæ signum damus; sed sine ullo doloris sensu cadimus; & omnia curamus magis; omnia magis expendimus, quàm peccata nostra. Ideo gaudemus gaudium hoc mundi inutile; quod cito perit, quod sexcentas parit ægritudines. Mœreamus igitur mœrorem gaudii autorem; & ne gaudeamus gaudium ægritudinis parentem. Emittamus lachrymas multum voluptatis seminantes; & non rideamus risum, qui stridorem nobis dentium gignat. Affligemus nos afflictatione illa, unde requies existit; & ne delicias quæramus, ex quibus ærumna, & dolor. Ad breue tempus in terra laboremus; ut perpetuo nos oblectemus in cœlis. In caduca hac uita nos ipsi affligemus; ut in infinita illa requietem consequamur: non diffluamus deliciis in hac breui; ne in illa infinita suspiremus. An non uidetis quot homines hìc etiam rerum ad hanc vitam pertinentium causa angantur? Existima te quoq; unum ex illis esse & fer ęrumnam, ac dolorem spe futurorum bonorum nutritus. Non tu es Paulo melior, non Petro; quibus nunquam ocium datum est; qui in fame, & siti, & nuditate totam vitam confecerunt. Si eadem, atque illi, uis consequi; cur contrariam insistis uiam? Si ad ciuitatem illam

Quæ lachrymæ laudandæ.

vis

vis peruenire, qua illi digni facti sunt; illam persequere viam, quæ illhùc fert. Non illhùc ocii fert uia, sed ęrumnæ. Illa lata, hæc angusta est. Hac iter faciamus; ut consequamur æternam uitam in CHRISTO IESV domino nostro; Cum quo patri, simulq; sancto Spiritui gloria, imperium, honos nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

DEO GRATIAS.



NOTATIONES QVÆDAM IN COMMENTARIOS D. Ioannis Chrysostomi in Epistolam ad Philippenses.





VI horum cōmentariorum manuscriptos codices accuratè contulerit, facile intelliget in exemplari ipso Chrysostomi multa in margine, atque inter lineas fuisse apposita; quæ aut adderentur, aut in aliorum locum sufficerentur; nimirum cum nondum constituisset, vtrum potius inductum, uel repositum uellet; neq; adhuc extremam operi manum imposuisset; ex quo factum sit, ut ab iis, qui descripserunt, pro ipsorum captu nunc pauciora, nunc plura omissa, nonnulla in alienum locum transposita, interdum etiam simul ea, quæ delenda, & ea, quæ reponenda erant, in eandem orationis seriem conducta fuerint. Quod à me certissimis, ut puto, argumentis depræhensum fecit; ut nonnullis locis paulo fortasse audacior in quibusdam uerbis trasponendis fuerim; cum nullum sentētiis detrimentum afferri uiderem; lectori autē gratum me facturum putarem; cuius antea cursum tanta, quantam ego sentiebam, perturbatione ordinis interruptum iri necesse esset. Quæ autem ista loca sint, in istis, quas adiungimus, notationibus indicabimus; ut lector suum adhibere iudicium; ac, si malit, quę nos transposuimus, ipse in pristinum restituere locum queat. Cæteris quidem locis nihil ex coniectura mutauimus; sed Vaticanum præcipue codicem, qui reliquis multo & plenior, & emendatior est (Nam in Veronensi integræ nonnumquam paginæ desunt) sequuti sumus; quamuis neque ille semper nobis animum expleret. Magnam uerò tibi, ut puto, uoluptatem nunciamus, fore vt breui

vt breui omnes Chrysostomi in Pauli Epistolas sermones græcè de integro impressos, atque innumerabilibus locis emendatos, & auctos habeas; hunc tibi thesaurum non solum procurante, sed etiam magnam partē promente clarissimo illo Ecclesiæ sanctæ lumine Cardin. Sirleto. Quæ etiam causa fuit, cur ego, quot in huius Epistolę cōmentariis sententias restituerim, indicare minime necessarium putauerim. In ipsis scripturę uerbis, vulgatam latinam editionem, quantum maxime licuit, retinuimus; idest excæptis iis locis, ĩ quibus Chrysostomi explanatio uerbis scripturę non respondisset; aut diuersa omnino græcorum verborum sententia erat: quod in nonnullis veteris testamenti libris minime raro euenit; præsertim cum interdū Chrysostomus aut alia uersione (multę .n. tunc erant, ut Aquilæ, ut Theodotionis, ut Symmachi, ut ea, quam communem uocabant) usus fuerit; aut memoriter recitans, nonnulla, ut fit, mutarit. Quę etiam fortasse causa est, cur duarum, aut trium sententiarum ex iis, quæ in his commentariis citantur, autorem reperire nondum potuerimus. Vale ingenue lector, & dum maiora paramus, hæc libenter accipe.

Pag. 1. lin. 7.

ACTORVM Cap. VI. mentio fit de Crispo Archisynagogo non Philippis, sed Corinthi ad fidem conuerso. Quare aut codices Chrysostomi sunt deprauati; aut est ἁμάρτημα μνημονικόν; quod tamen Theophylactus quoq; sequutus est; non autem Theodoritus. Nam argumentum huius epistolę, quod apud œcumenium Theodorito tribuitur, Theophilacti est.

Pag. 2. lin. 4.

QVAMQVAM Chrysostomus, & qui illius explanationes in Epitomen redegerunt, idest quos supra nominaui, paulo obscurius de his uinculis loquuntur: tamen

qui ip-

qui ipsorum uerba accurate perpendet, non dubitabit ita ab ipso distributa esse tẽpora; ut cum Apostolus Romam primò aduenit, biennio in uinculis, & in custodia fuerit; atque intra hoc tempus ad eum uenerit Timotheus, & Epaphroditus à Philippensibus missus; rursusque utrumque Apostolus à se dimiserit, primum quidem Epaphroditum cum hac epistola, deinde uero & Timotheum: quare cum extremo biennio absolutus est, Timotheum minimè affuisse: quod uerbis illis secundę ad Timotheum epistolæ indicetur: [In prima mea defensione nemo mihi adfuit] Appellat autem eo loco Apostolus primam defensionem; cum causa dicta absolutus est: alioquin & antea ad Tribunal se defensurus accesserat; quod satis aperte significat Chrysostomus explanans uerba illa: [in defensione, & cõfirmatione Euangelii.] Vincula igitur, in quibus erat, dum hanc scriberet epistolam, antecesserunt nõ quamcunque defensionem; sed illam, in qua absolutus est. Postquam verò liberatus est; multas adiit nationes, iisque Euangelium prædicauit. In quo itinere utrum Philippenses reuiserit, scribit Theophilactus incertũ esse. Chrysostomus sermone quarto explanans ea uerba: [per meum aduentum iterum ad uos] auditoribus inquirendum relinquit. Hoc tamen loco in eam se propendere partem ostendit, venisse ad illos. Inquit enim. [E uinculis enim dimissus est; atque in ea, postquam ad ipsos venisset, rursus coniectus.] Corrigendus autem locus est apud Oecumenii interpretem in argumento huius epistolæ, quod, ut diximus, Theophylacti est. Hæc enim Interpretis uerba sunt: [post primam siquidem Apologiam, cuius meminit ad Timotheum, statim vinctus fuit,] cum tamen longum interuallum intercesserit inter primam Apologiã, & posteriora uincula. Gręce est αὖθις ἐδέθη, atque hoc sibi uoluit Theophylactus, fuisse Apostolum in uinculis, cum hanc epistolam scriberet; nec tamen hæc fuisse illustria illa uincula, quorum finis martyrium fuit: Bis enim in uinculis fuisse; primum quidem ante illam defensionem; iterum uerò longo interuallo post, cum & mortem subiit. Ita ergo uertendum est.

[Nam

2. Tim. 4.

Phil. c. 1.

[Nam post primam defensionem, cuius meminit ad Timotheum, rursus postea in uincula coniectus fuit]

Pagina octaua linea 21.

VIDETVR Chrysostomus ostendisse ex locis D. Pauli Episcopum solitum fuisse interdū appellari nomine diaconi, & presbyteri; non autem uicissim, quod nunc expectabatur, presbyterum solitum appellari nomine Episcopi quare suspicor aliquid deesse. Auget suspicionem meam Theophylactus; qui hoc addit, presbyteros etiam episcopi nomen obtinuisse; quòd & ipsorum munus sit ἐπισκοπεῖν τὸν λαὸν, i. prospicere populo, & purgare, atque illuminare egentes. Huc uerò, & Theodoritus in hunc locum, & D. Hieronymus Epistola 85. afferunt testimonium ex 20. capite Actorum.

Pagina nona linea 10.

GRAECE in manuscriptis est, πάντοτε, οὐχ' ὅταν εὔχωμαι μόνον: quæ quidem sentētia uidetur mihi quodammodo hęrere; neq; illius uestigium ullum apud Theophylactum, Theodoritum, Oecumenium apparet. Hoc enim unum inquiūt Paulum sibi uelle; quotiescunque uestri recordor (recordor autē semper, & in omni precatione mea) gratias Deo ago. Verumtamen, si codices Chrysostomi nō sunt deprauati, hic fortasse sensus est, quem ex Pauli uerbis elicit; Gratias Deo ago pro uobis nō solum in ordinariis, ac statis meis precibus, quas quotidie ex officio ad Deum fundo; sed etiam semper, idest quęcunque mihi de uobis cogitandi occasio se offerat. Animaduerti enim Græcos libenter nomen εὐχῶν usurpare in statis illis precibus, quæ in liturgia potissimū adhibebantur; & apud ipsos εὐχολόγιον idem est, atque apud nostros diuinorum officiorum ratio. Posset fortasse ex loco illo primæ Epistolæ ad Timotheum *Cap. 2.* [obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones] aliqua alia sententia his Chrysostomi uerbis aptari: sed mihi ista, quam attuli, uidetur ferri posse.

Pa-

Pagina 19. linea 20.

GRAECE est, ὁρᾷς. ὅτι οὐ τὴν ἐμαυτοῦ δόξαν λέγω. ἀλλὰ τὴν τοῦ θεοῦ δικαιοσύνην; ſed mihi omnino uiſa eſt ſuperuacua uox iſta, δικαιοσύνην; nec quicquam ad rem propoſitam facere: Et apud Theophylactum, œcumenium, Theodoritum ita dicitur, non ad gloriam meam, ſed Dei. Ita paulo poſt Chryſoſtomus οὐχ ἵνα ἐγώ, φησιν, ἐπαινεθῶ, οὕτως εἶπον, ἀλλ' ἵνα ὁ θεὸς δοξάζηται. Quamobrem non dubitaui illam inducere: quamquã non longe abſum ab ea ſuſpicione tranſpoſita eſſe iſta verba δόξαν, & δικαιοσύνην; & hũc eſſe Chryſoſtomi ſenſum: vides non me iuſtitiã meam quærere, ſed gloriam Dei, ideſt non me eleemoſynam mihi conferri uelle, ſed gloriam afferri Deo: ſępe enim Paulus & ipſam eleemoſynam iuſtitię nomine appellat &c.

Pagina 19. linea 23.

CHARITAS cum à prudentia ſe diſiungit, atque idcirco nocet; remanet charitas, vt affectus; minime autem vt uera uirtus; quæ ut inquit B. Auguſtinus, nõ poteſt ha-
Tract. 87. in Ioan. beri ſine cęteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Id paulo ante illis uerbis ſignificarat Chryſoſtomus, [vt ne erga omnes eandem charitatem adhibeatis; id enim minime charitatis eſt, ſed inſulſitatis.] Ita Eccleſiaſtes præcipit;
Cap. 7. [noli eſſe multum iuſtus;] cum tamen iuſtitia quò maior, eo melior. [In abundanti enim iuſtitia, inquit, uirtus
Prouer. 15 maxima]. Sed hoc nimirum ſibi voluit Eccleſiaſtes iuſtitiam, cum modum excedit, nomen tantum iuſtitiæ retinere, non rem ipſam. Ita etiam notatum à doctis hominibus eſt, dictum eſſe ab Ariſtotele fortitudinem obeſſe.
1. Eth. c. 3. Et latinus autor; virtutem iſtam, ueniet, inquit, tempus, cum grauiter gemes. Vocabulum autem ἀγάπης latiſsime patere nemo eſt, qui ignoret.

Pagina 21. lin. 28.

In codicibus etiam antiquis tota hæc pars, cuius initium est [Ita interdum est, cum opus bonum, &c.] usque ad illa Pauli uerba [quidã uerò ex charitate] posita est post ea uerba [facilis mihi defensio erit.] Sed facile cognosci potest; quàm nunc magis oratio fluat.

Pagina 23. linea 20.

In codicibus etiam antiquis initium huius digresſionis ducitur ab illis uerbis. [Quamobrem hortor pro omnibus.] Sed nos omnia rectius procedere putauimus; si hinc ducatur.

Pagina 114. linea. 25.

Retinui vulgatam lectionem [qui Spiritu Deo seruimus:] ei enim videtur conuenire Chrysostomi explanatio, τουτέϛιν οἱ πνευματικῶς λατρεύοντες: ita etiam Theophylactus διὰ ψυχῆς, καὶ νοός. Testatum tamẽ relinquere volui, & apud Chrysost. & apud Theophylactũ in omnibus grecis codicibus, quos uidi, legi hoc modo, πνεύματι θεοῦ: quemadmodũ etiam manifesto legit Athanasius in Epistola ad Serapionem de Spiritu Sancto. Ita etiam apud Latinos D. Hieronymus, Spiritui Dei. D. Aug. narrat tribus modis legi solitũ esse, Spiritu Deo, Spiritui Deo, Spiritui Dei. D. Ambrosius nostram hanc, quam retinuimus, repudiat, contenditque legendum esse, Spiritui Deo; ut inde argumentum sumatur Spiritum Sanctum esse uerum Deum, quoniam illi seruiendum: quod nihilominus ex ista lectione, Spiritui Dei, confici potest.

D. Hieron. l. 6. in Esa. capit. 15.
D. August. cõtra duas Pelagianorum ep c. 7
Lib. 2. de Spirit. c. 6.

Pagina 168. linea 21.

In Grecis codicibus est, ὑπὸ περσῶν διαφθαρεῖσαν: sed omnino legendum est πεισῶν. Nam in sequentibus uerbis ratio-

nem huius euenti explicans, rursus hac uoce utitur, πεσοῦσ δοῦσα. Puto autem indicari Eusebiam Constantii uxorem. Item paulo post, ubi codices habent, ὁ υἱὸς αὐτῷ emendaui ὁ υἱὸς αὐτοῦ: alioqui mira esset in uerbis pugna. Ac facilè significari potest Iouiniani filius Varronianus; quanquam quid illo factum fuerit, historici, quod meminerim, non narrent. Similia quædam, ac propè eadem commemorat Chrysostomus in Epistola prima, quam nos uertimus, ad Viduam iuniorem: sed hìc ea loquendi forma utitur, atque ita uariant exemplaria; ut appareat uariam tunc de his rebus famam fuisse: idcircoque Chrysostomum hoc loco sæpè mutasse uerba. Quamobrem magnoperè mirandum non esset; si his ea, quę ab historicis narrantur, non usquequaque conuenirent: maiorem quidem partem conueniunt.



FLAMINIO NOBILIO



VIN opuſculum, quod ad me miſiſti, γνήσιον ſit Io. Chryſoſtomi, quicunque paulo diligentius in eius libris legendis eſt uerſatus, et guſtum eorum cæpit aliquem, dubitare poteſt nemo. Tu quoq; quin ſis γνήσιος illius interpres, nec minus diſertè, et ornatè latinè loquaris, quam ille Græcè ſcripſit, ſi quis negare fuerit auſus, eum ego uel maleuolum, vel inæptum, & omni prorſus iudicio deſtitutum eſſe non dubitanter affirmauerim: Proculdubio gaudet ſanctus ille Pater in cælis, quòd interpretem te ſit nactus in terris; nec per alium, quàm per te loqui mauult: vix enim alium quenquam reperiri poſſe puto, qui præclaram illius dicendi vim pari latinè loquendi facultate poſſit exprimere. Quo maiore cum deſiderio quod promittis aliud eiuſdem autoris opuſculum expecto: quod ſi miſeris, non ideò ſtatim fidem tuam liberaueris; Nam & hoc mihi pollicitus fueras, te mecum eſſe communicaturum commentariolum quendam de uita magni Cardinalis illius Hippolyti per te ſcriptum. Quod cum feceris, tunc primum, quam de-

disti mihi fidem, eam liberasse te rectè poteris affirmare. Facturum id autem esse te, nulla mora longiore interposita, mihi tanto magis persuasum est: quòd, & Cardinalis ille, quem tuum vocas, cum non sit magis tuus, quàm meus, & ille fidem pro te suam interposuisse uidetur: quem si tu postea tuum vocaueris, dicam dicturum esse tibi me denuncio. Quamobrem hac dicendi forma ne deinceps vtaris, Cardinalis meus, verùm, noster potius; ne uidearis eum tibi soli tamquam proprium vendicare velle. Quem etiam uerbis meis quàm officiosissimè salutabis: ac dices accepisse me literas, quibus mihi monachum quendam commendauit, doctum illum quidem, sicut ex primo cum illo congressu videre licuit; sed qui mecum, ut pranderet, adduci non potuit; ut perexigua mihi cum illo fuerit consuetudo. Opto te bene valere. Dat. Sublaci Cal. Augusti. Anno Iobælæi. 1575.

Tuus in Christo

Stanislaus Card. Varmiensis. m.p.



SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI IO. CHRYSOSTOMI ARCHIEPIS. CONSTANTINOPOLITANI.

AD VIDVAM IVNIOREM.

FLAMINIO NOBILIO INTERPRETE.



RAVEM te quidem accepiſſe plagam, atque ad maximè vitalem partem iaculum ſupernè immiſſum perueniſſe, omnes ſanè tibi conſenſerint, ac nemo ne ex iis quidem, qui valdè philoſophi ſunt, contradixerit. Verũ quoniam malè acceptos minimè in luctu, ac lachrymis omne ſuum tempus conſumere oportet, ſed vulnerum quoque curationi plurimum operæ, ſtudiique nauare, ne ſi deſpecta fuerint, maiorem ipſiſmet lachrymis afferant plagam, atq; ipſo luctu vehementiorẽ flammam excitent; æquum profecto fuerit te eam, quę per ſermones adhibetur, conſolationem minimè repudiare, ac lachrymarum fluuios parumper coercentem ad breue ſaltem tempus iis etiam, qui te conſolari aggrediuntur, te ipſam dare. Hæc enim cauſa eſt, cur, & nos non in ipſo luctus uigore, neq; ſimul ac fulmen decidit, obturbaremus, ſed cunctantes toto hoc intermedio tempore, ac permittẽtes te ſatiari fletu, quando iam à caligine illa paululum oculos attollere, atque aures iis, qui te conſolari tentarent, præbere potuiſti, tunc ipſi quoque poſt ancillarum ſermones noſtra adiungeremus. Nam cum adhuc tempeſtas magna eſt, & luctus viget, qui dolorẽ deponere ſuadet; is eiulatum magis prouocat atque irritat; nihilquè aliud lucri reportans, quàm odium, multam ſanè materiẽ eiuſmodi oratione ſuppeditat igni; ſimulq; de ſe, & inimici, & ſtulti hominis affert opinionem

Verùm

Verùm quando iam feruor ille desidere cœpit, ac violentiam fluctuum sedauit Deus, facile orationis uela pandemus. Nam mediocri quidem tempestate poterit fortasse ars suum officium facere: at cum ventorum impetus inuictus fertur, nihil loci est peritiæ. His adducti causis toto superiore tempore siluimus, ac vix nunc emittere uocem aggressi sumus. Audiuimus enim de Patruo tuo confidendum posthac esse: nam & famulas, quę paulo honoratiores sint, audere de his rebus breues inferre semones, & præter domesticas mulieres, eas etiam, quę aut genere tibi cognatæ, aut alia quauis ratione ad hoc munus obeundum sint idoneæ. Quod si illarũ sermones admittis; ualde confidimus, ac pro certo habemus fore, ne nostros cõtemnas, sed quietem, ac tranquillitatem, quoad poteris, ipsis audiendis adhibeas. Ac sane cũ muliebris sexus numquam non proclinior quodammodo ad concipiendum dolorem est; tùm uerò, cum & iuuentus accesserit, & viduitas immatura, & nullus negotiorũ usus, & curarum magna moles, atque illud præterea, omne pristinum tempus delitiis, hilaritati, diuitiis esse innutritam; multis partibus maior redditur calamitas; ut nisi supernum adsit auxilium; periculum sit, ne quę tot tantisque malis affligitur, à mente deferatur: quod equidem uel præcipuum, ac maximum diuinæ erga te curæ indicium censuerim. Nam quòd tot repente concurrentibus malis non te ęgritudo absorbuerit; nec de naturali mentis statu sis deturbata; non id humani alicuius auxilii fuit, sed omnipotentis illius manus, sed intelligentiæ illius, cuius nõ est numerus, sed prudentiæ illius, quæ inuestigari non potest, sed Patris misericordiarum, ac Dei totius consolationis. *Ipse enim* inquit, *uerberauit nos, & ipse sanabit nos; percutiet, & curabit nos, & sanctificabit nos*. Quamdiu enim tecum unà viuebat beatus ille uir; capiebas quidem fructus honoris, procurationis, studii; capiebas autem, quales ex homine capere par erat. Quoniam verò illum ad se uocauit Deus; ipse nunc illius loco se tibi substituit: neque hoc meum est, sed beati Prophetæ, qui ita inqnit, *Pupillum et uiduam suscipiet*; ac rursus ipsum uocat

Osee 6. *Psal. 145.* *Psal. 67.*

patrem

patrem pupillorum, & iudicem viduarum; omninoq; hoc hominum genus magnæ ipsi curæ esse videbis. Cæterùm ne hoc nomen assiduè vsurpatum animum tibi deiiciat, ac rationem perturbet reputanti in ipso ætatis flore illud te subiisse; de hoc mihi primum differendum proposui, atq; ostendendum, non calamitatis nomen esse, sed honoris, & honoris quidem maximi. Neque enim tu mihi multorum deprauatam opinionem loco probationis, ac testimonii afferas, sed beati Pauli sententiam, atque adeo decretum, ac legem. Quæ enim ille loquebatur, hæc per ipsum pronunciabat Christus, quemadmodũ & ipse dixit, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Quid igitur inquit? *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*, & rursus. *Adolescentiores autem uiduas deuita*, vtroque hoc pręcepto rei nobis magnitudinem indicans. Nam de Episcopis quidem præcipiens nullibi numerum annorum statuit; hic autem magnam adhibet accurationem. Quid ita? non quidem propterea, quòd viduitas sacerdotio maior sit; sed quoniã maiorẽ ipsę, quam illi laborem sustinẽt, multis undiq; negotiis illas circumueniẽtibus publicis, & priuatis. Etenim quemadmodum ciuitas mœnibus non circundata proiecta est, atque exposita omnibus, quicumque capere eam voluerint; ita & puella in uiduitate ætatem degens, multos habet, qui vndique insidientur, non solum eos, qui pecuniis animum adiecerunt, sed etiam qui pudicitiam ipsius violare student. Neque verò has tantum, sed etiam alias labendi occasiones in ipsam incurrere inueniemus. Nã & à familiaribus contemni se, & rem per negligentiam perire, nec pristinam retinere dignitatẽ, & æquales suas, quibuscum versari consueuerant, florentes, ac lętas videre, sæpè autem, & deliciarum cupiditas eò ipsas adduxerunt, vt secundis se nuptiis illigarent. Nec uerò desunt, quę legitimo quidem matrimonio uiris se iungere minime uelint, sed occultè, & clam. Id autem propterea faciunt, vt encomia viduitatis lucrentur. Ita non ignominiæ, sed admirationis, atque honoris plena res ipsa apud homines est non modo fideles, verumetiam infideles ipsos. Nam & ego aliquãdo, cum

2. Cor. 13.
1. Tim. 5.
Ibidem.

cum essem iunior, Doctori meo (erat autem ille omnium hominum maximè superstitiosus) animaduerti matrem meam præ multis magnam excitasse admirationem. Nam cum eos, qui sibi assidebant, more suo interrogasset, cuius ego essem; ac responsum esset, me viduę mulieris esse filiū: de me quæsiuit ętatem matris, & uiduitatis tempus. Cum primum verò audiuit quadraginta annos natam esse, vigesimum uerò iam annum agi, ex quo patrem meum amiserit; obstupuit planè, atq; ad eos, qui aderant conuersus, clara voce exclamauit; En quales mulieres apud Christianos sunt. Tanta nō modò apud nos, sed etiam apud Gentiles viduitatis laus est, & admiratio. Quę omnia considerans beatus Paulus dixit. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum.* Neque verò ex hoc solo, quamuis graui ætatis testimonio, continuo finit, ut in sacrum hunc adlegatur chorum; sed alia addit ita scribens. *In operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit; si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsequuta est.* O diligētiam, ac subtilitatem in probando. Quantam à vidua requirit virtutem, & quàm subtiliter omnia persequitur? hanc sanè operam nō sumpturus, nisi munus honestatis, ac dignitatis plenum illi commissurus fuisset. At uerò cum dixisset, *Adolescentiores autē uiduas deuita*; causam quoq; adiungit: *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolunt.* His enim verbis illud nobis significat, mulieres, quæ viros amiserunt, in illorum locum aptari, & iungi Christo. Quò autem ostendat hanc adiunctionem esse suauem, ac lenem; ita inquit. *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolunt*, Quasi de uiro quodam leni, ac probo loquens, quiquè non illis pro imperio vtatur, sed libertate frui permittat. Nec verò hactenus orationem produxisse satis habuit: sed & aliunde rursus magnæ sibi illas curæ esse declarauit, ita scribens: *Nam quæ in delitijs est, uiuens mortua est, quæ autem uerè uidua est, & desolata, sperauit in Deum, et instat obsecrationibus, & orationibus nocte ac die.* Et ad Corinthios scribens inquit, *Beatior autem erit, si sic permanserit.* Vides quanta viduitatis Encomia. Atque hæc quidem in noua lege, quando iam

1. Tim. 5.

Ibidem.

1. Cor. 7.

Virgi-

Virginitatis decus summopere emicuit: Verumtamē neq; huius splendor viduitatis luminibus officere potuit; sed & ipsa elucet adhuc suam habens virtutem. Quotiescumque igitur inter dicendum viduitatis mentionem faciemus; ne animo concidas, nec rem turpem existimes. Nam si viduitas turpis, multo turpior virginitas. Sed non est, non est; procul a nobis absit ista opinio. Quando enim eas, quę viris adhuc superstitibus continentiam seruant, omnes admiramur, & commendamus; cur nō eas, quæ post virorum obitum eamdem illis beneuolentiam præstant, laudibus & admiratione prosequamur? Donec igitur, quemadmodū dicebam, cum beato Therasio viuebas, eum ille tibi honorem, tuorumque commodorum studium præstitit, cuiusmodi ab optimo viro expectanda erant. Nunc autem illius loco habes Dominum omnium Deum; qui cum antea tibi affuit; tum verò id nunc multò impensius, ac cumulatius faciet. Atqui studii erga te sui, & procurationis non minimum, quemadmodum antea dicebam, indicium iam nobis dedit, in hoc curarum, atque ęgritudinis incendio incolumem te præstans, nec permittens, vt quicquam violenti in te admitteres. Qui autem tanta tempestatis vi incumbente naufragium fieri minimè permisit; multo magis tranquillo iam mari custodiet animam tuam, & leuem reddet viduitatem, atque ea, quæ ex ipsa oriri videntur mala. Quòd si non viduitatis nomen te discruciat; sed talis viri iactura; Ego etiam tibi planè assentior in toto terrarum orbe paucos ex viris secularibus extitisse viri tui similes, tanta humanitate, probitate, modestia, integritate, prudentia, innocentia præditos. Verùm, si quidem penitus interiisset, atq; in nihilum abiisset; mœrendum, ac dolendum erat: sin autem ad quietum, placidumque delatus est portum, atque ad suum verè Regem profectus est; nullus hic lachrymis, sed lætitiæ locus est. Etenim hæc mors non est mors, sed migratio ac domicilii mutatio à deterioribus ad meliora, à terra ad cœlum, ab hominibus ad Angelos, & Archangelos, atque adeò ipsum Archangelorum Dominum. Nā hìc quidem, dū in terris Imperatori milita-

bat; multa erāt expectanda discrimina, multæ ab inuidis insidię. Quò enim magis illius existimatio, & gloria augebatur; eo plures, atque acriores in ipsum excitabantur inimicitię. Illuc autem profectò nihil eiusmodi metuendum est. Quamobrem quantum luges, cùm tam commodus, ac bonus esset, iussum esse ad Deum ire; tantum lætari oportet, magna illum cum securitate, & gloria profectum esse, & à periculorum, quæ hic imminebant, tumultu liberum, pacatam, placidissimamque vitam viuere. Quàm enim absurdum est fateri quidem cœlum terra longè melius esse, ac tamen eos, qui hinc eò commearunt, luctu prosequi? Nam si beatus iste ex illorum hominum numero fuisset, qui turpiter, ac Deo minimè probati vixerunt; profectò non solum mortuus, sed etiam viuens, fletu, atque eiulatu prosequendus erat. Nunc verò, quando & ipse vnus ex Dei amicis erat; nō solum viuenti, sed etiam somnū suum obdormienti gratulandum est. Audisti sanè ex beato Paulo, cum ita diceret, longe satius esse dissolui, & esse cum Christo. At fortè charas illius voces audire cupis, tuoq; erga illum amore frui, & cōsuetudinem requiris, & gloriam, splendorem, decus, securitatem, quæ ab illo in te redundabant; atque hęc omnia periisse egrè fers; & quasdā quasi tenebras mēti tuæ offundi sentis. Verum enim uerò tuam quidem erga illum amicitiam ęquè tibi nunc, atque antea tueri licet. Talis enim est charitatis natura, & potentia: nō solum præsentes, ac proximos, quique ob os, atque oculos versantur, sed eos etiam, qui longè absunt, complectitur, cōglutinat, coniungit: ac neque temporis longinquitas, neque locorum interualla, neque aliud huius generis quicquam interrumpere, ac discindere animæ amicitiam potest. Quòd si pręsens pręsentem intueri cupis (nō enim me fugit id tibi esse maximè in optatis) custodi illi lectū alteri viro minimè peruium; incūbe in eam curam, vt eadem in te, atque in illo vitæ, morumque probitas eluceat; ac sine dubio ad eumdem cum ipso peruenies chorum; atq; vnà cum eo habitabis non quinq; annos, quemadmodum hìc, non viginti, non centum, non mille, aut bis mille, aut

decem

decem millia, aut multò plures, sed planè infinitos, & infinita secula. Regiones enim illas recreationis, & pacis, non cognationes ad corpus pertinentes, sed vitæ similitudo apta est, quæ hęreditate obtineat. Nam si eadem suscepta viuendi ratio Lazarum Abrahæ ignotũ in sinum illius adduxit, multosque facit ab Oriente, & Occidente cum illo recumbere; profecto te quoque vna cum optimo Therasio locus requietis excipiet, si eamdem, atque ille, colere volueris vitam; tuncque ipsum non cum hac corporis pulchritudine, qua præditus abiit, iterum recipies, sed cum alio quodam splendore, ac uenustate; quæ ipsos Solis radios fulgore uincat. Etenim hoc quidem corpus, e[illegible]m si ad summum pulchritudinis gradum peruenerit, mortale tamen est. Corpora autẽ eorum, qui Deo placuerunt, tantam induent gloriam; quãtam ne intueri quidem his oculis licet. Atque harum quidem rerum signa quędam ac leuiter pressa vestigia, & in vetere, & in nouo testamento nobis ostendit Deus. Nam illic quidem Mosis facies tãta fulgebat gloria: ut eam oculi Israelitarum ferre minimè possent. In nouo autem longe magis fulsit Christi facies. Quęro igitur ex te, si quis tibi pollicitus esset ei se totius orbis regnum traditurũ, sed ob hãc causam iussisset viginti ipsos annos te secedere, atq; iis transactis diademate, ac purpura ornatum eum tibi traditurum promisisset, teq; in eodem, atque illum honoris gradu collocaturum; nonne secessionem istam æquo animo, & ea, quæ te decet, modestia tulisses? non ne munus præclarum, remque omnibus uotis optandam duxisses? Obdura igitur & nunc, non regni terreni, sed cœlestis causa, non ut ueste aurea, sed immortalitate indutum recipias, & gloria, quantam eos, qui in cœlis degunt, habere cõsentaneum est. Quòd si ualde tibi intolerãda videtur tẽporis longinquitas; verisimile est illum tibi interdum in somniis adstare, & quę cõsueuerat tecum colloqui, & optatã faciem ostendere. Hoc te loco epistolarum consoletur: quinimmo id maiorẽ epistolis uim habet. In illis enim literas tantum cernere licet; hìc uerò, & formam vultus, & risum tranquillum, & figuram, & incessum,

 & so-

& sonum audire, & amicam illam uocem agnôscere. Cęterùm quoniam securitatis præterea ratio, quæ ex illo tibi aderat, te ad fletum impellit, fortasse etiam spes illæ, quæ sese ostendebāt maioris dignitatis,& amplitudinis:(audiui enim citò futurum fuisse, ut ille ad consularem thronum ascenderet, idquę tibi omnium acerbissimum visum esse, ac pręcipuè animum tuum excruciare puto) illos tibi ante oculos pone; qui cum ad maiorem, quàm ille, dignitatem euecti essent; valde miserabilem vitam egerunt. Reuocabo autem tibi in memoriam Theodorum illum siculum; fortasse audisti; erat enim in primis notus, & celebris. Hic & pulchritudine, & magnitudine corporis, & auctoritate apud Imperatorem omnibus præstans, qui ea poterat, quę interiorum familiarium nemo, prosperam illam fortunam non moderatè tulit, sed insidiatus Imperatori, ac deprehensus, ipse quidem ualde miserabiliter obtruncatus est; ipsius autem uxor neque educatione, neque genere, neque vlla alia re nobilitati tuæ concedens, omnibus repente rebus suis spoliata, ac libertate amissa Cubiculariis ancillis adnumerata, ac nulla non ancilla miseriorem, ac magis lachrymabilē uitam agere coacta est, hoc vno cæteras antecellens, quòd propter non cōparabilem calamitatis magnitudinem, lachrymas eorum omnium, qui ipsam aspicerent, eliciebat. Fertur etiam Artemisia viro valde claro nupta, quoniam & ille tyrannidem affectauit, in eamdem incidisse paupertatem, ac præterea oculis esse capta. Nam magnitudo ægritudinis, & lachrymarum multitudo lumina extinxit. Ac nunc quidem hominibus eget qui deducant, atque ad alienas portas adducant; vt hoc modo necessarium sibi victum comparare queat. Nec verò aliæ familię desunt itidem deiectæ, ac prostratæ, quas commemorem; nisi probitatem, ac prudentiam tuam probe nossem; quæ minimè ex alienis malis calamitati tuę cupis solatium adhibere. Neq; verò hæc exempla, quę commemorauimus, aliā ob causam cōmemoraui; quàm ut intelligas res humanas nihil esse, verèque à Propheta esse dictum,

Esa. 40. *Omnis gloria hominis, ut flos foeni*. Quò enim altius euehuntur,

tur, atque emicant, eò maiorem edunt ruinam; neque in iis solum, qui sub alieno imperio viuunt, sed etiam in Regibus ipsis. Neque enim facile quis inueniat priuatam domum æquè refertam calamitatibus, ac Regias. Nam & orphaniæ, & viduitates immaturæ, & neces violentę, atque iis quidē, quæ in tragędiis narrantur, multo sceleſtiores, & acerbiores in hunc ipsum præcipuè cadunt principatum. Atque, ut vetera omittamus, ex iis omnibus, qui nostro tempore imperarunt (fuerunt autē nouem) duo soli com muni morte uitam clauserunt. Reliquorum autē hic quidem à Tyranno, ille verò in bello, alius domesticorum custodum insidiis, alius autem ab illo ipso, qui coronam, ac purpuram imposuerat, interfectus occubuit. Vxores verò partim, ut ferunt, veneno interierunt, partim ęgritudine. Earum verò, quę adhuc superstites sunt, altera quidem filium habens pupillum tremit, ac metuit; ne quis eorum, qui rerum potiuntur, illa metuens, quæ ferre insequens tempus queat, eum de medio tollat; altera uerò vix multorum precibus ab exilio rediit, quò antea ab eo, qui tenebat, missa erat. Cæterum ad ipsorum etiam, qui nunc regnant, uxores animum aduerte. Alteram videbis ex pristinis calamitatibus respirantem magnæ voluptati magnum habere dolorem admistum, eò quòd qui potitur, nimis iuuenis, ac nullius usus est, multosque habet undique insidiantes: Alteram verò timore exanimatam, & iis, qui capite damnati sunt miseriorem vitam ducentem; eò quòd vir ipsius ab eo tempore, quo diadema suscepit, usque ad hodiernum diem in bello & præliis uersatur; verecundiaque & probris, quibus undique afficitur, magis quàm ex calamitatibus tabescit. Quod enim antea numquam, nunc euenit; ut Barbari propriam relinquentes regionem multa stadiorum millia regionis nostræ percurrerint, & agris incensis, captisque vrbibus domum redeundi omnem cogitationem abiecerint. Ac perinde quasi choreas ducerent, non bellum gererent; ita nostros omnes irrident; & quemdam ex illorum Regibus dixisse ferunt, mirari se impudentiam nostrorum militum; qui facilius quàm oues soleant

iugulati,

iugulati, adhuc victoriam ſperent, neque ex ipſorum regione velint excedere. Nam ipſe quidem dixit, ſeſe illis cędendis ſatietate captum eſſe. Quo igitur animo & Imperatorem, & ipſius vxorem iſta verba audientem exiſtimas eſſe? Et quoniam huius belli mentio incidit, magnum mihi viduarum agmē occurrit; quarum multæ ex virorum quidem dignitate plurimum ſplendoris acceperunt, nunc verò repente omnes nigra, ac luctui accōmodata ſtola amictę omne ſuum tēpus in lachrymis, ac querimoniis traducūt. Neque illis hoc datum eſt, quod honorato tuo capiti. Tu enim, o admirabilis, & in lectulo iacētem vidiſti honeſtum illum, & ſupremam audiſti vocem, cùm quibus modis res domeſticæ adminiſtrandæ eſſent, te doceret, & teſtamento omnem alieni appetentibus, ac ſycophantis aditum obſtrueret. Adde illud, quòd iacenti mortuo ſæpe incubuiſti, & ſuauiata es oculos & compoſuiſti, & honeſtiſſimo funere elatum vidiſti: omnibus, quæ decebat, erga illum officiis functa es, & iuſta perſoluiſti: & ad ſepulchrum ſæpè accedens non minimum habes tui doloris ſolatium. Illę verò omnibus huiuſmodi ſolatiis ſunt deſtitutæ, cum omnes quidem ad bellum miſiſſent viros ſuos tamquàm rurſus ipſos recepturę; at pro illis triſtem illorum mortis acceperint nuncium. Non enim quiſquam corpora ipſorum afferens, ſed uerba tantum mortis genus narrantia ad ipſas rediit. Verùm ſunt, quæ neque hac ipſa narratione dignę fuerint habitę; neque quomodo illi ceciderint, doceri potuerint; cū in magno cæſorū numero reliquis eſſent coacervati. Ecquid verò mirum, ſi multi ex Ducibus hoc modo interierunt, quādo & Imperator ipſe, in vicum quemdam cum paucis militibus concluſus exire quidem, & ſeſe inuadentibus opponere minimè auſus eſt, ſed intus manens accenſo ab illis igne vnà cum iis omnibus, quos ſecum habebat, combuſtus eſt, nec uiris ſolum, ſed etiam equis, & trabibus, & muris; & omnia in unum, atque eumdem cinerem abierunt? Atque hunc nuncium, ii qui vna cum Imperatore ad bellum profecti fuerāt, loco imperatoris ipſius ad uxorem reportantes redierunt. Nihil enim,

nihil

nihil planè ea, quæ in mundo splendida sunt, ab iis, quæ in scena geruntur, à vernorum florum venustate differunt. Primum enim antequàm appareant, euanescunt; deinde etiam si paululum temporis maneant, citò tamen ad interitum properant. Quid enim honore, qui à multis exhibetur, & gloria exilius, ac vilius? quem fructum, quam vtilitatem afferunt? quo sat bono exitu concluduntur? atque vtinam nihil aliud subesset mali: nunc verò præter quàm quòd nihil verè boni inde prouenit; multas etiã molestias, multa damna assiduè is ferre cogitur; qui se huic acerbissimæ Dominę subiecit. Domina enim est eorum, qui ipsam admiserunt; & quò maioribus blanditiis & assentationibus colitur à seruis; eò magis sese contra ipsos erigit, & durioribus ipsos urget mandatis; eos uerò, qui ipsam reiiciunt, ac despiciunt, non habet amplius, vbi ulciscatur. Ita & Tyranno, & fera qualibet immitior est. Nam Tyrannus quidem, & feræ cultu, ac blanditiis sæpe mitescunt: hæc autem tunc maximè efferatur; quando ei maximè auscultauerimus; ac si dicto audientem inueniat, atque omnia obsequentem, nihil est præterea, quod imperare omittat. Habet uerò, & alteram belli sociam, quam non malè fortasse quis ipsius filiam appellarit. Quando enim ipsa probè à nobis alta & educata creuerit, ac radices egerit; tunc arrogantiam parit, rẽ quę nihilominus matre animũ quem cæperit, præcipitem agere põt. Hoc igitur dic mihi, luges, ac lamẽtaris, quòd ab hac durissima Domina Deus te liberauit? quòd omnibus his pestiferis morbis omnem obsepsit viam? Viuente enim adhuc tibi uiro nullum in mentem tuam insultandi finem fecissent; mortuo autem non habent, unde in cogitationes tuas impetum faciãt. Hoc igitur tibi recte curandum, ac pręstandum posthac est; ut ne illarum discessum lugeas, neq; acerbũ illum dominatum expetas. Nam ubi illæ uehementius spirant; omnia funditus euertunt, ac prosternunt. Et quemadmodum meretrices, cum plerumque suapte natura deformes sint, ac squalidæ, frictionibus, & fucis incautos, & simplices iuuenum animos illaqueant, & postquã in suam ditionem receperint,

perint, seruis omnibus contumeliosius tractant: ita & huiusmodi affectiones Ambitio, & Arrogantia nulla non fece hominum animos magis inquinant. Hinc, & multi diuitias magnum bonum duxerunt: quare qui ambitionē eiecerit; neque à diuitiis etiam capietur. Nam quibus licuit ob paupertatem consequi magnam gloriam; ii ditescere minimè voluerūt, sed magnam auri vim sibi oblatam contempserunt. Atque hos minimè ex me cognoscere necesse habes: ipsa enim longè melius, quàm ego, nosti Epaminundam, Socratem, Aristidem, Diogenem, Cratem, Melobotum, qui suasmet possessiones reliquit, ac deposuit. Nam alii quidem, cùm non esset in promptu ditescere, exorientem sibi ex paupertate gloriam animaduertentes, facilè in eam se partem dederunt. Hic autem & ea, quæ habebat, proiecit. Adeo omnes huius ferę belluæ sibi acquirendæ cupiditate insaniebant. Ne igitur queramur, Deum ex hac turpi nos tyrannide, & ridicula, & multorum probrorum plena exemisse. Nomen enim solum splendidum est; res autem ipsa longè alios, atque appellatio ipsa polliceatur, amatores suos reddit; ac nemo est, qui glorię causa quippiam agentem non irrideat. Ille enim solus suspiciendum se prębere, & gloria circumfluere poterit, qui eò minimè spectat. Qui autem magnum quiddam putat gloriam à multis delatam, atque illius consequendæ causa omnia facit, & patitur; is potissimum ab ea longè aberit, eiusque expers erit, rerum vero gloriæ aduersantium maximè particeps, irrisionis, criminationis, maledictorum, offensionis, odii: neque in viris tantum id vsu uenit; sed etiam in uobis mulieribus, atque adeo multo magis. Nam quæ & figura, & incessu, & uestitu simplicem quamdam bonitatem præsefert, & à nemine honorē aucupatur; eam omnes admirantur, suspiciunt, prædicant, omnibus bonis ominibus prosequuntur; vanæ autem glorię cupidam auersantur, oderunt, & veluti belluam quamdam agrestem fugiunt, sexcentas in illam execrationes, & contumelias coniicientes. Nec verò his dumtaxat malis nos eripimus vulgarem gloriam contemnentes; sed & ea, quę omnium

maxima

maxima sunt, lucramur; dum prçter ea, quç dicta sunt, paulatim erudimur respirare, & aspirare ad cælum, & terrena omnia despicere. Nã qui delato ab hominibus honore minimè egere se putat; quicquid boni faciet; magna cum securitate faciet; neque aut aduersis, aut secundis huius vitç rebus quicquam incommodi sentiet; neque enim aut aduersæ illum deiicere, atque obruere possunt, aut secundç inflare, ac tumidum reddere; sed in rebus maxime caducis ac fluxis ipse omnis mutationis expers manet. Quod celeriter, & in tuo ipsius animo euenturum spero; confestimque terrenis omnibus abiectis cælestem te nobis uiuendi rationem repræsentaturam; gloriam verò, quam nunc defles, paulo post irrisuram; & vanam, ac futilem illius personam illusuram. Quod si pristinam, qua per illum potiebaris, securitatem desideras, & bonorum custodiam; nec patere uelles eorum insidiis, qui alienis calamitatibus insultant, iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. *Inspicite enim*, inquit, *in antiquas generationes, & uidete si quis sperauit in Domino, & confusus est, uel si quis inuocauit illum, & despectus est, uel si quis stetit in mandatis eius, & derelictus est.* Psal. 54. Eccl. 1. Nam qui onus tã intolerabilis calamitatis leuius reddidit, & in præsenti malacia te collocauit; is & quæ imminent, propulsabit. Nam hac quidem plaga nullam te umquam grauiorẽ posse accipere profectò nobis assentieris. Quando igitur præsens malum adeò fortiter, ac generosè tulisti, idque cum te usus nondum docuisset; multò magis ex iis, quæ accidere possunt, si quid præter voluntatem nostram acciderit (quod Deus omen auertat) facilè feres. Cçlum quçre, & omnia quæcumq; ad uitam illic degendam conducunt; ac nihil eorum, quç hic fiant, lædere te poterit, ne ipse quidem tenebrarum imperator; dummodò ne nobis ipsi noceamus. Nã & si quis bonis spoliet, & si corpus concidat; nihil horum ad nos; modò animus nobis incolumis, atq; integer maneat. Omnino autem si uis pecunias & ab omni periculo tutas custodire, & amplificare; ego sanè & modum, & locum demonstrabo; quò nulli eorum, qui insidiari solent, fas est irruere. Quis igitur locus est? cœlum,

mitte illas ad optimum illum virum; ac neque fur, neque insidiator, neq; vlla alia pestis impetum facere in illas poterit. Si ibi has ipsas pecunias defoderis; magnum ex his lucrum reportabis. Omnia enim quæcumque à nobis in cœlis seruntur; longè maiorem, ac meliorem prouentum habent, ac planè talem; qualem consentaneum est ex iis, quæ in cœlis radices egerunt. Quòd si hoc feceris, vide qualibus frueris bonis: primùm quidem sempiterna vita, & iis, quæ promissa sunt diligentibus Deum; quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt: deinde consuetudine optimi viri tui in omne æuum; postremo à curis, timoribus, periculis, insidiis, simultate, odio, quę hanc vitam exercent, te ipsam liberabis. Quamdiu enim pecunias apud te retinebis; erunt fortasse aliqui, qui fraudibus interuertant; sin autem ad cęlum transmiseris; periculis vacuam, tutam, ac tranquillitatis plenissimam vitam viues; quippe quę sufficientia vnà cum pietate frueris. Magnæ enim dementiæ est, si agri quidem emendi sint, feraciorem terram sectari; cęlo autem, & terra in conspectu positis, cum ibi liceat prædium sibi comparare; terræ potius inhærere, seque molestiis, quæ ex hac sæpè incidunt, casibusquè exponere; sæpè enim nostram frustratur spem. Quoniā verò illud grauiter percellit, concutitquè animum tuum, quòd sæpè sperasti fore, vt is ad consularem dignitatem eueheretur; ideoq; magistratum illi quodammodo ereptū doles; primùm illud quidem fac tecū cogites; licet valde explorata esset hæc spes, attamen humanam fuisse spem; quæ sępè fallere sit solita; ac multa huiusmodi in hac vita quotidie euenire cernimus; ut cum ea, quę valde sperantur, minime exitum inueniant; ea, quę neque in mentem venerunt, ad finem sępenumero perducantur; siue ad imperia, siue ad regna, siue ad hęreditates, siue ad matrimonia, siue aliò animum intendamus. Quocirca quamuis propè adesset tempus; tamen, vt in prouerbio est, multa inter calicem, & summum labium. Ac sanè
Eccl. 18. scriptura ipsa inquit. *A mane usque ad uesperam immutatur tem-*
Ibidem 10 *pus: sic & Rex, qui hodie est, cras moritur*: Ac rursus quàm in-

certi,

certi, atque in expectati rerum exitus sint, nobis declarans hic ipse Sapiens inquit, *Multi tyranni sederunt in solo; & insuspicabilis portauit diadema*. Non igitur exploratissimum erat, si vixisset, ad eum dignitatis gradum peruenturum. Quod enim futurum est, incertum est: atq; alia etiam erant, quę nobis suspicionē iniicerent. Vnde enim manifestum erat, si uixisset, ad magistratum illum euectum iri: atq; adeo futurum minime fuisse; ut ea quæ nollemus, euenirent; ut morbo correptus, aut inuidia, ac maleuolentia eorum, qui prosperitatem illius non ferrent, circumuentus, vel aliqua alia calamitate affectus præsenti etiam dignitate priuaretur? Sed fac, si libet, multò exploratissimum fuisse, si diutius vixisset, ad illud fastigium peruenturū: at certè, quanto maior dignitas; tanto maioribus periculis, curis, insidiis necessariò suberat. Cęterùm absint & ista; ac sine periculo, summaque cum tranquillitate illud nauigarit pelagus: ecquis finis, dic mihi, manebat? an non idem, qui nunc? aut potius non idem, sed alius fortasse; tristis nimirum, ac votis omnibus fugiēdus? Primum quidem tardius vidisset cœlum, & ea, quę in cœlis sunt; quod iis, qui res futuras fide, & spe præceperunt, non minimum damnum est. Deinde, quantumuis castè, integrequè uixisset; attamen uitæ longitudo, ac necessitas quędam in illum magistratum incurrens, non ęquè integrum, & purum abire hinc permisissent, atque hoc tempore. Incertum quoque & illud; an forte multis modis immutatus, ac negligentiæ deditus perpetuum obdormisset somnum. Nam nunc quidem confidimus Dei gratia illum euolasse ad locum requietis; quòd nullam ex iis culpis in se admiserit, quæ à regno cœlorum excludunt: tunc uerò publica negotia plerumque tractans fortasse multas ad se attraxisset sordes. Nam tot vndique malis circumstantibus, rectum tenere cursum rarum admodum est; peccare autem, & sponte, & † inuitum ualde usitatum, ac quotidianum. Nunc verò à timore isto longè absumus, ac magnopere confidimus, venturum in die illa plenum uenustatis, & splendoris proximum Regi, atque una cum

Ibidem 11.

† *Al. simplicitate quadā adductū: uide scholium.*

Angelis prǽeuntem Christo, & gloria, cui nulla par inueniri oratio queat, circumfluentem, & iudicāti Regi adsistentem, & in præstantissimis muneribus ministrantem. Quamobrem misso iam fletu, & eiulatu eamdem viuendi rationem, atque adeò etiam potiorem tene; ut eamdem atque ille, adepta virtutem, in idem etiam cum illo tabernaculum recipiaris; ac rursus coniungi cum illo queas in sempiterna illa secula, non hoc matrimonii nexu, sed alio quodam longe meliore. Hic enim corpora tantum copulat; ille verò multo elegantior, iucundior, melior animam animæ iungit & conflat.

SCHOLIVM.



PECCARE *autem, & sponte & inuitum*. Hoc loco variant exemplaria. Alia enim habēt ἄκοντα idest inuitum. In aliis autem, ut in Vaticano, legitur ἄκακον idest ex simplicitate quadam. Si prior lectio retineatur; nō ita est accipiendum hominem inuitū peccare, quasi nullum ea in re momen-
In Epist. ad Ephes. hom. 2. In Matth. ho. 60. tum voluntas habeat. Nā & multò verissima, & sancto huic Autori probatissima sententia est, nullam nisi spōtè, ac voluntate admitti culpam. Sed inuitum peccare eum potuit dicere, qui ob inscitiam peccat; cuius tamen inscitię ipse substinet culpā: quomodo in Numeris,
C. 15. qui ex ignoratione peccat, dicitur non spontè peccare, ac tamen ei pœna luenda imponitur: & hoc eodem modo alibi uidetur lo-
In Epist. ad Heb. ho. 15 qui Chrysostomus. Aut eum inuitum vocat, quià peccando quidem abhorret; sed non tantum roboris habet; vt deprauatæ consuetudini, principum imperiis, vulgi studiis audeat repugnare. Quò etiam videtur paulò ante spectasse in illis verbis ἡ τῆς ἀρχῆς ἐκείνης ἀνάγκη οὐκ ἂν ἀφῆκεν οὕτως ἀπελθεῖν καθαρόν. quæ nos ita vertimus. *Necessitas quædam in illum magistratum incurrens non æquè purum, atque integrum hinc abire permisisset.* Simili quadam ratione impotens iræ, ac libidinis agere inuitus dicitur. *Sed trahit inuitam noua uis, aliudque libido, mens aliud suadet.* Ac tamen non posse repugnare libidini

nihil

nihil aliud est, quàm nō velle, aut frigidè velle, quod sæpe docuit Chrysostomus. Autor Operis imperfecti paulò magis hyperbolicè loquebatur, cùm ita diceret, *Qui in timore seruit Deo, poenam quidem euadere; mercedem autem iustitiæ non habere; quia inuitus facit bonum propter timorem.* De hac re accuratè egit D. Augustinus cùm alibi, tùm libro primo Retract. quod à Magistro sententiarum est animaduersum.

In Io. ho. 8 & 12.
In Matth. hom. 42.
C. 13. et 16
2. lib. Dist. 41.

EIVSDEM.

DE NONITERANDO CONIVGIO

AD EAMDEM.



MVLIERES, quæ virorum consuetudinem, partus dolores, & cætera omnia, quibus instructum matrimonium in hominum domos ingreditur, numquàm vsu cognouerunt, ad viros animum appellere, nihil sanè mirandum est. Nam & bellum, rem adeò laboriosam, ac duram, imperitis dulce esse in prouerbio est. At sexcentis malis affectas, quibusque dura ipsa rerum conditio persuasit, eas quidem, quæ solutæ à rebus huius mundi vitam agerent, beatas prædicare, se ipsas autem, & pronubas, & diem, quo in matrimonium sunt collocatę, millies execrari; eas ipsas post tantum fastidii rursus earumdem rerum desiderio capi; hoc est, quod me propemodum obstupefacit, ac dubitare cogit, & quęrere; Ecquid causę sit; quamobrem quas res antea, cum in iis versarentur, fugiendas existimabant; has rursus, cum ab iis liberæ sunt, tamquam expetendas, persequantur. Ac multa quidem animo versans, mecumque ipse cogitans, vix tandē, vt puto, ad ipsam rei causam indagando perueni. Atque ea quidem non vna est, aut altera, sed planè multæ. Partim enim ob tēporis longinquitatem priorum oblitæ, & ea tantum, quę in manibus sunt,

reco-

recolentes, veniunt quidem ad matrimonium, quasi ad id, quod omnia mala, quæ è viduitate, depellat; sed alia quędam ibi longè grauiora inuenientes, rursus easdem, quas antea, voces emittunt. Partim verò mundanis rebus rursus inhiantes gloriaque præsentis vitæ suspensæ, & viduitatem rem dedecoris plenam putantes, huius inanis glorię & tumoris causa ad easdem se reuocari sinunt matrimonii miserias. Nec verò desunt; quæ non huiusmodi causis adductæ, sed soli intemperantiæ manus dantes, rursus ad priorem vitæ rationem redeunt; ac veram causam occultare iis, quas diximus, prętexendis conantur. Atqui istas accusare, atque huiusmodi matrimonii nomine condemnare neque ipse ausim, neque alteri, ut audeat, autor sim; quandoquidem aliter uisum est B. Paulo, uel potius Spiritui ipsi sancto. Nam cum dixisset, *Mulier alligata est legi, quanto tempore uir eius uiuit; quòd si dormierit uir eius, libera est, ut cui uelit, nubat; tantũ in domino*; atq; ita viduę potestatẽ fecisset rursus, si uelit, nubendi; addidissetque, *Beatior autem est, si sic permanserit;* ne quis putaret humanum esse præceptum; hęc adiunxit. *Puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam*; planè ostendens spiritu dictante ista sibi esse conscripta. Ne quis igitur, quę modò dicturus sum, in eam partem accipiat; quasi eas, quæ matrimonio se iungunt, repręhendam, ac criminer. Summæ enim arrogantiæ, ac furoris fuerit, quibus non interdixit Beatus ille, sed indulsit, has cõtra à nobis acerbè condemnari, idque cum sexcentis nos criminibus premamur. Etenim qui vel à iudicando abstinere, ne eadem mensura in nos iudicium exerceatur, atque in aliorum peccata minimè vehementes esse iudices iubemur; sed lenes, & ad veniam dandam faciles; si rem, quæ extra culpam sit, criminemur & condemnemus; quomodo non omnem nobis veniam pręcidemus ex nostro in proximum facto in eam sententiam inducentes iudicem, vt in nos vicissim se præbeat duriorem? Non igitur vt illas accusem, ac pungam, huc oratione delatus sum. Quod enim in Domino fieri, potest, in id cadere crimen nullo modo potest. *Tantum, inquit, in Domino.* Verùm quemadmodum cum de virgi-

1. Cor. 7.

virginitate verba facimus; non ut de matrimonii dignitate detrahamus, illam laudibus extollimus; ita cũ de viduitate disputamus; non quidem ceu secundas nuptias in earum rerum numero, quibus interdictum sit, collocemus, mulieres, ut semel nupsisse contentæ sint, cohortamur. Sed fatemur quidem secũdis etiam legem non violari; verùmtamen vnas iteratis longè præstare non dubitamus. Atque in hac comparatione; cùm vnum alteri præstare dicimus; nemo hoc ipsum, quod inferiorem locum tenere dicimus, vitium putet. Non enim illa inter se ideo conferimus; vt ipsorum alterum in rerum turpium ordinem reiiciatur: sed concedentes id legi cõsentaneum esse, nostroquè arbitrio permissum, alterum tamen præ hoc lõgè pluris facimus, magisq; suspicimus. Quid ita? quoniam multum interest eamdem mulierem vnius viri esse vxorem; ac duorum. Nam, cui prior satis est; planè ostendit, neque ad illum ipsum se adiuncturam fuisse; si rei naturam vsu ipso probè nouisset. Quę autem alterum sponsum in prioris cubile inducit; næ ista haud exiguum egregiæ erga mundum amicitiæ, atque erga res terrenas propensionis indicium præbet. Atque illa quidem nec dum viueret vir, erga alium commota animo est: hæc verò, & si illo viuente ab aliis se pudicam seruarit; attamen multos alios magis, quàm illũ suspexit. Sed ne ex hoc facto coniecturã de præterita vita faciamus; rẽ ipsam expendamus. Etenim quemadmodum virginitas matrimonio melior est; ita hoc matrimonio illud. Vidua enim de principio tantum virginitati concessit; ad extremũ verò ipsi rursus ęquatur, & coniungitur. Hoc verò matrimonium vtraque ex parte à uirginitate abest. Huc accedit, eam quę facile fert viduitatem, à viro quoq; dum viueret, sępe sibi continere solitam; eam verò, quę rem maximè molestã putat, ita animũ instituisse; vt non cũ duobus solum tribusuè, sed etiã multo pluribus, si ita sors ferat, sibi res habẽda sit, ac vix extrema ętate abstinendum. Quemadmodũ igitur matrimoniũ illud magnę honestatis, ac temperantię specimen est: ita hoc minimè quidẽ dixerim molliciei, & lasciuię (absit) sed certè animi

infirmioris, & qui carni deditus sit, terræquè affixus, nec magnum, atq; excelsum quippiam animo concipere vnquam possit. Quòd si quis obiiciat, quod honestũ est, suam tueri honestatem, siue semel obeatur, siue bis, siue sępius, similiter enim honestum manere; quinetiam eum, qui sępius functus est, laudabiliorem esse eo, qui rarius; respondebimus huiusmodi sophisma incautioribus fortasse posse imponere; iis autem, qui animum aduertere voluerint, facile ad refellendum esse. Matrimonium enim nõ corporum cõmistio facit (ita enim & fornicatio matrimonium esset) sed quòd ea, quæ nupta est, vno viro contenta est. Atque hoc inter meretricem, atque ingenuam, pudicamquè mulierem interest. Quòd si vno viro contenta perpetuo sit; coniunctionem istam matrimonii nomine verè appellaris. Sin pro vno multos sponsos in domum inducat; non equidem fornicationem audeo dicere; sed illud quidem contendam, hanc illa, quę vnum dumtaxat virum nouit, longè inferiorem esse. Illa enim audiuit Dominum, cum ita diceret. *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carnem unam;* ac viro adhæsit, perindè ac verè sua caro esset; neque oblita est semel sibi impositi capitis. Hęc vero nec priorem nec posteriorem virum propriam carnem reputat: vicissim enim alter alterum eiiciunt. Neque enim mulier prioris viri memoriã satis rectè colere poterit; quæ post illum alteri nupsit; nec posteriorem iusto amore prosequetur, magna adhuc cogitationum ac mentis parte in eum, qui obiit, deriuata. Ita fit; vt neutri is, qui viro debetur, amor, atque honos ab vxore exhibeatur. Ecquid verò animi putet posteriori sponso esse; qui in prioris thalamum ingreditur; & illius lectum scandit; ac præterea illius vxorem iocantem, ac ludentem videt? Valdè quidem commoueatur, neque ad illam magno cum amore accedat, necesse est. Nam tametsi omnium hominum durissimus sit; non tamen ita exuere omnem humanitatẽ potest; ut humano quodam sensu non afficiatur; etiam si illa sexcentis ornamentis & seipsam & domum compserit. Dolor enim altè iam animo infixus

Matt. 9.

fixus non finit puram, & sinceram ad ipsius animum allabi voluptatem. Sed quemadmodum in muris vsu venit, ut cum pars aliqua valdè exusta est, licet postmodum dealbetur; subiectus tamen, ac profundus nigror candorem tectorii obscuret; atque iniucundũ sane spectaculum prębeat; ita & hac in re, tametsi multa splendida excogitentur; in mediis tamen ipsis eminent tristia; ac molesta quędam ex iis mistio fit. Nam, & serui, & ancillæ, & agricolę, & inquilini, & uicini, & gentiles prioris viri demisso, ac tristi vultu intuentur, quę fiunt; ac gemunt. Quòd si præterea pupilli affuerint; si quidem ualdè pueri sint; magnum ab iis, qui de rebus iudicare queunt, in matrem odium excitant: sin autem puberes; tantam, quantam vix aliud quicquam, viro molestiam comparant. Quæ quidem omnia cum legislatores animaduerterent; & eos, qui propterea anguntur, consolari vellent, & simul sui facti rationẽ reddere, quòd non ex principali proposito, neque, si vtrumuis liceret, huiusmodi matrimonium instituerent; sed tantum metu adducti, ne grauius aliquod malum existeret; secundas nuptias omni illa splendida pompa spoliarunt; neque enim tibia, neque plausus, neque hymenęus, neque choreę, neq; coronę nuptiales, neq; aliud quicquam eiusmodi vesperam illam ornant; sed hęc omnia auferentes, sic non coronatum virum ad viduam mulierem adducunt; tantum non per hęc clamantes, quę fiunt, omnia esse quidem eiusmodi, quibus uenia detur, sed laudibus; coronis, plausibus minimè digna. Atenim obiiciet quis; cur igitur Paulus prohibet; ne Iuniores etiam, si velint, viduę maneant? ita enim scribit; *Adolescentiores autem uiduas deuita*. Non sanè Paulus impedimento est; quominus quę volunt seruare virginitatem, queant; sed ipsę potius sunt; quę Paulum eò necessitatis adegerunt; ut pręter animi sui sententiam hanc ipsis legem ferret. Nam si Pauli sententiam uis cognoscere; audi, quid dicat. *Volo omnes homines esse sicut me ipsum*: idest continentiam seruare. Quamobrem non sibi ipsi aduersatur beatus ille, neque adeò lapsus est, vt inter se pugnantia loqueretur; nec qui uelit omnes ho-

1. Tim. 5.

1. Cor. 7.

mines colere continentiam, obſtaret, quominus, quę volunt, viduæ maneant. Quid igitur verba illa ſibi uolunt? *Adoleſcentiores autem uiduas deuita*. Attendamus obſecro, qua cauſa & quam ob rem. Non enim iſta abſolutè protulit, ſed

1. Tim. 5. progreſſus oratione adiunxit: *Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere uolunt*. Vides non eas, quę viduitatem ſeruare uolunt, ſed quæ poſtquam in viduitatem inciderunt, nubendum ſibi ſtatuunt, ab illo prohiberi, ne viduæ maneant; ne ve in ſacrum illum chorum admittantur; idquè valde ſapienter. Nam ſi alteri matrimonio illiganda es; neque ſpondere etiam viduitatem debes. Nam poſt promiſſionem mutare ſententiam longè deterius eſt, quàm neque omnino promittere. Quemadmodum igitur aſſiduam liberis operam dare permiſit, nō quidem legem ſtatuens,

1. Cor. 7. ſed ipſis indulgens, ſic enim inquit, *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, nō ſecundum imperium propter incontinentiam ueſtram;* ita hoc etiam loco grauioris mali metu ſecundum inſtituit matrimonium, oſtendens hoc quoque indulgentię eſſe ad multorum infirmitatem ſeſe accōmodantis, ac demittentis. Infirmitatem autem dico non potentiæ, ſed voluntatis, ac propoſiti. Nam quemadmodum uirgo, ſi poſt promiſſam uirginitatē ſe violari ſiuerit; facinus adulterio grauius perpetrauit; ita & uidua, quæ ſemel promiſit, ſi deinde pactionem cum Deo factam cōculcans eodem crimine ſe polluerit; eidem quoque ſupplicio obnoxia eſt, ac fortè etiam, ſi licet mirum quiddam dicere, longè maiori. Non enim idem eſt, ut initio dicebam, imperitam, atque vſu iam edoctam iiſdem ſuccumbere tentationibus. Neque verò hoc loco dumtaxat; ſed etiam paulo poſt, cum hæc pręmiſiſſet, *Volo ergo iuniores uiduas nubere, filios procreare, matres familias eſſe*, cauſam ſubdit, cur iſtud velit: quæ ea eſt? *Nullam*, inquit, *occaſionem dare aduerſario maledicti gratia*. Nam quoniam veriſimile eſt multas eo tempore viduas poſt viri obitum licentius, magiſque arbitratu ſuo viuere ſolitas, à viri ſocietate, quaſi à neceſsitate quadam, ac dominatu liberas; ita vt impudentiæ nomine malam de ſe opinionem afferrent; abducēs ipſas ab illiberali hac, & peſtifera libertate,

tate, rursus ad pristinum iugum adducit. Nam si, inquit, futurum est, ut uiduitatem præseferens clam fornicetur, ac seipsam dedecoret; longe satius nubere, ac nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Quamobrem, ne occasiones maledicta iaciendi dent, ac vitam meretriciam, contumeliisquè obnoxiam agant; matrimonium præcipit. Audi, quot præterea sint, quæ ipsis vitio vertat. Nam cum deberent omne suum tempus orationibus, & supplicationibus instare; istæ verò, inquit, *Et ociosæ discunt circumire domos; non solum ociosæ, sed & uerbosæ, & curiosæ, loquentes, quæ non oportet.* Hæc verò ipsi minimè probantur; sed vult perpetuo affixas esse rebus spiritualibus. *Nam, quæ in delitijs est, inquit, uiuens mortua est:* quandoquidem, & virginem ipsam vult bonum hoc suum non corporis castitate definire, sed vniuersum ocium suum Deo consecrare, atque illi perpetuò deseruire. Ita enim scribit. *Porrò hoc ad utilitatem ueslram dico, non ut laqueum uobis inijciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbet sine impedimento dominum obsecrandi.* Non enim ipsam patitur diuisam esse, sed totam rebus spiritualibus, ac cœlestibus hærere vult, & quæ Domini sunt, curare. Ad eamdem vitæ rationem uiduam quoque uocat, dicens. *Quæ autem uerè uidua est, & desolata; sperauit in Deum; & instat obsecrationibus, & orationibus nocte, & die.* Quando igitur ocium, quod in Euangelicis negotiis insumendum erat, id non modò in rebus superuacuis, atque inutilibus, sed etiam valdè noxiis perpetuo impendunt; idcirco ad matrimonium eas rursus adducit. Nam quemadmodum Iudæis Sabbatum dederat Deus, non ut ociarentur dumtaxat, ac planè cessarent; sed vt sese à turpibus actionibus abstinerent; ita uidua, & uirgo, non ut satis habeant uiris non misceri, hanc sibi deligunt vitam; sed ut ea, quæ Domini sunt, curent, atque se totas in Dei cultum conferant. Sit ita sanè, inquiet aliquis. Verum intolerabile malum erit, mulierem nullo rerum usu peritam ea, quę ad viros pertinent, subire cogi; neque enim ipsa perinde atque ille, tractare, atque administrare res poterit; atq; hinc

nihil aliud lucrabitur, quàm molestias, ac fortunarum ruinam. Ergo quæcumque à secundis nuptiis abhorruerunt; omnia sua pessum dederunt, omnia perdiderunt; neque mulierem viduam inuenias, quæ rem suam rectè gerat? Tergiuersationes ista sunt, ac prætextus, propriæque infirmitatis integumenta. Multæ enim præclarius, quàm viri & domum administrarunt, & filios pupillos educauerunt; & bona, quæ acceperant, partim auxerunt, partim non minuerunt. Nam ab ipsomet initio non omnia viris commisit Deus; neque ab ipsis solis pendere, quæ ad vitam pertinent, voluit; ne si mulier nihil ad vitam conferret, despicatui duceretur. Quamobrem id prospiciens Deus non inferiore illam loco constituit; atque id ab ipsomet initio clarum faciens, dixit. *Faciamus ipsi adiutorium*. Etenim ne eò quòd ipse primùm factus est, ac per ipsum formata mulier, magnos aduersus illam spiritus vir sumeret; hoc adiutorii verbo tumorem ipsius compressit; ostẽdens mundana negocia nihilo minus mulieris, quàm viri egere. Quæ nam igitur ista sunt? quibusque in rebus ad vitam instituẽdam, ac substentãdam nobiscum mulier societatem init? Sanè, quoniam ad præsentis vitæ statum componendum nõ minus priuata, quàm publica negocia faciunt: hęc dispertiẽs Deus, forensia quidem viris commisit, domestica autem mulieribus: ac si munera, officiaq; ista commutentur; omnia corruent, ac peribunt. Tanto vterque vtilior altero in suo munere obeundo est. Igitur, si domestica ex muliebri scientia pendent; atque ista in re tantum viro mulier pręstat, quantum rudi homini artifex in rebus, in quibus artifex est; cur uanum nobis timorem incutimus? Nam peregrè quidem proficisci, multaque domum apportare, uirorum tantummodo est; mulieribus autem lucro operam dare, minimè fas est; at quę sunt apportata custodire, ac tueri, ipsius solius est. Ac tametsi pręstantius quiddam uideatur acquirere, quàm tueri; attamen, si hoc absit, illud quoque inutile, ac uanum. Sępe verò etiam si hoc adsit; illud non solum nihil profuit, sed etiam cuncta euertit. Valdè enim difficile est, hominem foris negociantem, atque ampli-

plificando patrimonio operam nauantem, iustè quæstum facere. Maiorem enim partem ex alienis isti calamitatibus crescunt, ac suum negocium gerunt; sicque mulieris arti, & gubernationi sæpè officiunt ea, quæ per iniustitiam, & vim parta in manus ipsius peruenerunt. Quamobrem & si maius aliqua ex parte sit acquirere, quàm conseruare; tamen altera ex parte minus esse deprehenditur; quando nō solum ad bonorū amplificationem nihil confert, sed etiam perdit iam reposita. Quid igitur metuat vidua, ne viri absentia res domesticę deterius se habeant; quarum viuente etiam uiro ipsa procurationem susceperat? At facilius, inquiet, gubernabat; cū metu illius nemo reluctaretur, nemo molestiam afferret. Nam & famuli, & œconomi, & uicarii, ac reliqui omnes illum metuentes ad parendum aderant prompti, ac parati; ac nemo erat; qui contra diceret. At eo, quem metuebant, è medio sublato, omnes viduæ mulieri insultant; in suo munere improbè versantur, confidentes sunt, atque omnia peruertunt, ac dissipant. Quòd si vlcisci, ac vindictam sumere uelit, vinciens, verberans, in carcerem coniiciens; tum verò in multorum repręhensionem, criminationem, contumelias incurrit: negari ista planè non possunt. Cæterum si fidem ei, qui abiit, datam fregerit, atque illius amorem obliuione deleuerit, & vesperam, qua ille ad se primum accessit, & plausum, & hymenæum, & faces nuptiales, & primos amplexus, & mensas, & cætera omnia, quorum una cum illo per omne tempus particeps fuit, & verba, quę à viro magna cum uoluptate vxorem audire verisimile est; si hæc, inquam, omnia, perinde ac si numquam fuissent, repente abiiciat, atque alteri viro fores aperiat, ipsumquè ad illud cubile admittat, quod prioris illius fuerat, & rerum omnium priorum conscium est; nemo ne erit, qui reprehendat, nemo qui criminetur? nemo qui odio prosequatur, ac perfidam, inhumanam, fœdifragam uocet, atque huiusmodi aliis conuiciis oneret? Non enim si beatus Paulus rem istam permisit, propterea laudibus dignam putes, ac quę multorum reprehensionem fugiat: pœna tantùm, ac supplicio

caret;

caret; laudes quidem, & encomia non est, quòd se reportare posse speret. Nam & mollem, atque ad libidinem procliuem esse, ac ne ieiunii quidẽ tempore, aut quouis alio ab vxore abstinere, longê quidem, & multum à supplicio abest; non tamen propè eò, ut laudari possit, accedit. nam hæc ipsa permissio nihil aliud est, quàm signum magnę cuiusdam infirmitatis, ac socordię. Quamobrẽ si illud times, ne famulis increpandis, ac puniendis audacię subeas opinionem; illud vicissim cogites, multò magis pertimescendum esse; ne tantũ molliciei, libidinis, perfidię crimen subeas. Præterea verò licebit viduę meliore quadam ratione rebus suis cõsulere; ut & magnam partem in tuto illas collocet; & non solum reprehensionem fugiat, sed etiam ab omnibus laudetur; quodquè pręcipuum est, mercedes illas, quę à Deo præbentur, reportet. Nam si pecunias in cęlo sibi deponendas censuerit, ibiquè tamquam in Asylo quodam defodiendas; non solum nõ minuentur; sed multis partibus maiores fient. Talis enim est huius sationis natura. Quòd si infirmiore animo est, quàm vt perfectæ illi legi implendę par sit, neque omnia simul eò traiicere vult; illud rursus cogitet, si uirum accipiat, non continuò talem accepturam, qui bona amplificet. Quòd si etiam talis sit; non solam pecuniarum accessionem considerare cum animo suo debebit, sed illud quoque, fore, ut multis in rebus Deum, atque homines lædere cogatur. Nam si ille ex numero potentium, atque opibus abundantium fuerit; multa illam præter sententiam & facere, & ferre coget. Et quod à viduitate metuebat; id illi nunc multò grauius, & violentius imminebit. Adde euenire facillimè posse, vt celerrimam faciat mutationem. Nam dum uidua est, etiam si aliquod in bonis detrimentum accipiat; reliqua tamen illi salua, atque incolumia manebunt. At potenti uiro, & Rempublicam, uel aliam quampiam procurationem gerenti matrimonio iuncta, sæpè omnia simul amittet. Calamitatum enim, quæ uiris accidunt, uxores quoque participes sint oportet: Sed esto, nihil eiusmodi accidat; ecquid lucri, dic mihi, seruitutem libertati anteferre?

ferre?

ferre? ecquid vtilitatis diuitiæ afferunt; cum illis arbitratu suo uti minimè queat? non ne multo præstabilius est, pauca ita possidere, vt illa in potestate habeas, quàm omnia, quę in orbe terrarum sunt, ea conditione, vt vnà cum illis te quoque alteri subiicias? Mitto nunc curas, contumelias, conuicia, zelotypias, inanes suspiciones, dolores pariendi, & reliqua id genus. Hęc enim rectè tunc afferuntur, cum ad uirginem sermo habetur; quippe quæ rudis, atque imperita est huiusmodi difficultatum: viduę autem narrata molestiam potius afferent. Quę enim usu ipso optimè didicit; ea si ipsam uerbis docere uelis; frustra operam sumas. Neque uero par utriusque conditio est; sed magno quodam bono ea, quæ uirgo nupsit, uiduam excellit. Nam quæ uirgo nupsit; multo maiore cum libertate, ac fidentia uiro utetur; quàm, quę post uiduitatem. Nã hanc qui acceperit; ut uxorem amare potest; ut uirginem, non potest. Quàm uerò amores illi his uehementiores, & magis quodammodo insani sint; nemini non exploratum est. Viduam enim tamquam uiri non omnino insciam minimè toto animo complectetur, atque amabit. Omnes enim ferè homines, ut ita dixerim, solemus siue zelotypia, siuè inanis glorię studio, siue nescio qua alia causa adducti, eas res prçcipuè in amore habere; quibus, antequam in aliorum potestatem uenerint, nostris fruimur, quarumquè nos primi, ac soli domini sumus. Id & in vestimentis usu venire facilè animaduertas: non enim ea, quibus alii vsi sunt, ęquè cara habemus, atque illa quibus nemo. Idem in domo; idem in vasis: domum enim nobis ab alio traditam, non perinde amamus, atq; illam, quam nobis ipsi parauimus. Ac vasis, quę nuper facta sunt, nobisquè primùm vsui fuerunt, valdè parcimus, magnumq; illis conseruandis studium impendimus. Quę autem ab aliis ad nos venerunt, non magnopere in deliciis habemus; sed adeò auersamur, vt sępè in aliam conuertamus formam. Quòd si in domo, in veste, in uasis hoc animo sumus; cogites uelim, in uxore, qua nihil hominibus prætiosius est, quanto acrius, ac vehementius nos affici consentaneũ sit.


Nam alia quidem nec iis, qui cupiunt, recusamus commu nicare: hanc autem minimè fas est; ac citius vitam profunderemus, quàm id ferre animum induceremus. Virginem igitur spōsam, quemadmodum dicebam, omni animi impetu complectetur; eam verò, quæ alteri prius consueuit, non æquè beneuolis, atque amicis oculis aspiciet. Neque tu mihi, quę rarò, ac vix semel eueniunt, afferas, sed quæ quotidie in communi vita cernuntur. Neque verò hæ solę causę sunt; cur illa fidentius agat; verùm etiam alię multæ. Nam viduę quidem maritus facilè illi exprobrarè poterit, se quoque ab illa paruifieri, ac despicientiæ indicium proferre infidelitatem, quam erga priorē virum adhibuit; atque ita os illi obstruere; vt neque de prçteritis rebus, neque de iis, quæ fortasse futurę non sunt, uerbum hiscere queat. Mortui enim viri contemptus, viuentem quoque, vt idem sibi expectet, admonebit; falsò fortasse, sed admonebit tamen. Neque verò ille solus hæc perpetuò vxori obiiciens molestus erit, sed famuli etiam, atque ancillæ, si minus palam, certè tacito quodam murmure sexcentis ipsam cōuiciis incessunt. Quòd si filios impuberes ex priore viro habuerit; quomodo illos educabit, quomodo curabit? Quibus autem pupillis non illi miserius viuunt; qui paterna omnia in alterius potestate videbunt, famulos, domum, prędia, & quod caput omnium est, uxorem? quomodo matris loco ipsam colere illi poterunt? quomodo ipsos illa filiorum loco diligere? quos cum intuetur, erubescat, ac pudore suffundatur, necesse sit? quibusque non omnem impēdere maternum affectum potest, magna animi, atque amoris parte in filios, quos ex altero suscepit, translata? Quid igitur, inquies, si ualdè tenera ętate fuerit, atque exiguo tempore frui uiro potuerit? Quin ad puellas hęc mihi dicta sunt, non illas, quę iam senuerunt. Nam cum illis, si ad nuptias animum adiiciant, ne verbum quidem mihi faciendum putem. Scilicet nostra illis oratio à secundo matrimonio abstinendum persuaderet; quod neque temporis longinquitas, neque ętas, neq; aliud quicquam persuadere potuit? Sed ad iuuenes omnis mihi est

instituta oratio. Quæris igitur, quid si puella, & quæ vno tantum anno cum priore viro fuerit, alteri nubat? Imò verò, si in tam tenera ætate viduitatem seruet; habet, vnde ei, quę viginti, trigintauè annos in matrimonio vixit, pręferatur, plusquè honoris reportet. Non hoc meum est, sed B. Pauli. Ille enim est, qui inquit. *Beatior autem erit, si sic permanserit.* Cæteroqui, tametsi illa diu cum viro vixit; tamen cum vno, eodem, ac solo, quemque ab initio accepit: hæc autem duobus se ipsam dedit, idque intra breue tempus. At non uoluntate sua, inquit: nam si prior viueret; vnum illum amaret, præterea neminem. Nunc quando ille citius, quàm oportuit, diem obiit; necessariò alterum quærere matrimonium cogitur. Sed qualis est hæc necessitas? Ego enim hac, quam affers, aliam longè maiorem mihi uidere videor, quæ ipsam mortuo uiro conseruare sufficiat; nimirum gustando percepisse, quantum amari insit in rebus mundanis. Nam, quæ in ipsis perdiu versata est, & callum obduxit; ad easdem rursus se conferet, quasi similes inuentura. Quę autē principia ipsa adeo molesta experta est; quid sibi uolens, aut sperans, earum, quæ posthac maiores supersunt, molestiarum periculū faciet? Nam quemadmodū is, qui ad mercaturā animū appulit, si antequā quicquā lucri faciat, simul ac ē portu exiit, naufragium fecit; facilè, opinor, omnem post hac negotiandi cogitationem abiiciet; ita consentaneum est, hāc multa sibi è matrimonio iucunda pollicētem, verùm antequam ad ea benè percipienda peruenire queat, tantum incommodorum, ac luctus deprehendentem, rerum humanarum amorem, nisi ualdè sit intemperans, deposituram. Quinetiam si ualdè iis afficiatur, atque inhiet; principii, tamen iniucunditas satis idonea est, quæ omnem extinguat cupiditatem. Tunc enim in iis, quę suscœpimus, potissimum perseuerare consueuimus; cum principia ipsa ex sententia processerint: quòd si ab initio, atque ab ipsis, ut ita dixerim, carceribus in molestias ac difficultates incurrimus; statim cupiditas deferuet, ac totum negotium deponimus. Quamobrem, quarum immatura

viduitas est;has mihi alterum matrimonium facilius repudiaturas uerisimile uidetur; ne eadem rursus perpetiantur. Nam quæ seruat uiduitatem; in tuto se collocabit; nec similem posthac luctum timebit: quod sane facere illa cogetur; quæ secundò matrimonium contraxit. Huc accedit eamdem quidem esse uiduitatem; non tamen eamdem omnibus uiduis propositam esse mercedem, sed vni ampliorem, alteri parciorem. Quę enim ab adolescentia iugum susceperunt; multo maiore honore potientur, atque amplioribus muneribus: quę autem in ipsa iam senectute; non æquè, atque illę. Quid ita? quòd illa quidem, cum multa obstarent, ob Dei timorem omnia sibi perferenda duxit; huic autẽ nullo sudore, ac labore opus fuit: quis enim labor; ubi nullus aduersarius, nihil quod vim afferat? Quemadmodum igitur, quę seipsam alteri uiro dedit, ei, quę vnicum agnouit, concedat oportet; ita quę in ipsomet ętatis flore in viduitate perseuerat, longo interuallo eam, quæ in senectute uirum amisit, anteibit. Atqui utraque unum habuit uirum; sed hęc tamen ipsum castitatis curriculum confecit; illa verò longo abest interuallo. Igitur non ad laborem solum, sed etiam ad mercedem fac spectes. Sic pleraq; uirtutum officia difficilia nobis uidentur; cum sudores, atque ęrumnas, quę subeundę sunt, assiduè animo uersamus; neq; proposita illis præmia animaduertimus. Quod minimè faciendum est, sed circumspectis simul laboribus, ac pręmiis, summa subducenda. Tunc enim, quemadmodum uerè sunt; ita à nobis perfacilia iudicabuntur. Ita qui in bello pręclarè se gerit, non vulnera dumtaxat, prolapsionesquè, ac mortem, sed etiam trophæa, uictorias, cęterosque honores omnes reputans, rationibus benè subductis in aciẽ fortiter descendit. Sic Agricola non solum laborem, qui arando, ac fodiendo sumendus est, sed etiam aream, ac torcularia sibi ob os, atque oculos proponens alacriter opera sua urget. Itidem igitur, & nos spe bona ærumnam viduitatis leuem reddemus; atque eò magis nos, quàm illi; quò illis quidem multa sæpè ex iis, quæ in ipsis sita non erant, expectatio-

ctationem prçciderunt. Nostras autem spes nemo est, qui fallat; nisi voluntas nostra accesserit. Quæ vtinam non accedat; sed illud nobiscum cogitantes viduam à uirgine non procul abesse; usu etiam interdum venire, ut illam antecellat; nimirum, cum Virgo negociis se implicarit; Vidua autem ex Pauli sententia desolata, & in Deo spem ponens institerit obsecrationibus, & orationibus, atque ab huius vitæ negotiis abstinuerit; in arenam hanc descendamus; vt quæ inde nos manent prçmia, consequamur. Hçc, non quò necessaria iudicaremus, attulimus; aut quò illas, quæ in viduitate permanere nolunt, condemnaremus; sed hoc vnum cohortatione, admonitionequè nostra agentes; vt ne terrç perpetuo affixç hçrere velint, sed semel solutæ in libertate maneant, ad cœlum aspirent, cœlestem viuendi rationem exhibeant, ac iunctæ Christo ea omnia præstent, quç tanti sponsi compotes decent.





IN BEATI IOANNIS CHRYSOST. SENTENTIAS, QVAE AVT VITIO INTERPRAETIS, AVT QVOD NONNVLLA OPERA FALSO IPSI ADSCRIBANTVR, PIAS LAEDERE AVRES POSSVNT.



Et primo in quartum Tomum, qui præcipuus est.



QVONIAM sermones D. Ioannis Chrysostomi in D. Pauli Epistolas duobus voluminibus Basileæ anno 1536. impressi circumferũtur; in qua editione sexdecim etiam priores in Epistolam ad Romanos Homiliæ à Musculo versæ sunt (nam in posterioribus omnium operum editionibus, huius versionis loco Germani Brixii versionem substituerunt); idcirco faciendum putauimus; vt primum, quę in illis impura iudicauimus, notaremus.

IN HOMILIA PRIMA Pag. 1.



AVLVS Seruus Iesu Christi] Qua, quęso ratione illius nomen Deus immutans, cum Saulus esset, Paulum vocauit? Ne quid minus videlicet reliquis Apostolis haberet, sed quod Apostolorum Coripheus quasi pręcipuum habet, hic quoque possideret; imo maioris dispensationis causam acciperet]. Locus hoc pacto versus sine dubio videtur Paulum Petro pręferre; perinde, ac Paulus maioris, quàm ille, dispensationis causam accęperit; idque struit Musculus; vt summę illi Petri, (quòd si Petri, multò magis & successorum) auctoritati deroget, quantum potest Chrysostomus autem nihil eiusmodi sibi vult; sed hoc vnũ significat, Paulum, quemadmodum & Petrum ex mutatione nominis accępisse argumentũ maioris familiaritatis cum Deo; quàm si mutatum nomen non esset. Ita in veteri testamento Abrę, & Iacob mutatio nominis fuit maioris cuiusdam necessitudinis monumentum. Idem notat Theophylactus in filiis Zebedei euenisse; qui à domino Bonaerges sunt appellati. Ideo verba illa καὶ πλείονος οἰκειώσεως ὑπόθεσιν λάβῃ, optime à Brixio vertuntur [& maioris necessitudinis argumentum obtineret] Neque enim οἰκείωσις significat dispensationem, sed necessitudinem & familiaritatem. Et vocem illam [imo] manifestò Musculus de suo apposuit; ut viderentur sequentes illę voces [maioris dispensationis] Paulum Petro præferre. Quàm verò accuratè Chrysostomus Petri auctoritatem tueatur, alibi ostendimus.

IBIDEM.

[Opus enim illius est, qui seruum facit] Inæpta uersio, & quæ ineptam sententiam pręseferre queat. Græce est; τὸ γὰρ ἔργον τοῦ ποιήσαντος δοῦλον, idest opus enim ipsum effectoris seruum est.

IN HOMILIA XIII. pag. 103.



AFFECTUM itaque carnis malitiam dicit, & affectum ſpiritus, gratiam nobis datam, energiamque bonę voluntati diuinitus decretam] Explicans Chryſoſtomus, quid ſit ſapientia ſpiritus, inquit ſapientiam carnis nominari à Paulo vitioſitatem, ſapientiam vero ſpiritus, gratiam datam, & actionem illam, quę ex optima electione cenſetur; nimirum, vt vbique ſtatuat duo illa bonarum actionum initia, gratiam, & electionem, idque perſpicuè ſonant verba gręca. τὴν χάριν τὴν δεδομένην, καὶ τὴν ἐνέργειαν τὴν τῇ προαιρέσει κρινομένην τῇ κρηστῇ. Muſculus verò ita vertit, vt ſolius gratię mentionem faciat, diuinitus energiam bonæ uoluntati decernentis; ſcilicet ut uoluntas non liberè, ſed ex decreto agat.

IN EADEM PAGINA 105.

[Quòdque cum Angelis diſſidendum, certandumque. Hoc eſt enim mortificare carnem, nimirum uitam uiuere ęternam] Quo pacto iſta cohæreant [cum Angelis diſſidēdum; hoc eſt enim mortificare carnem] ſi reperias, mirabor. Fortaſſe Muſculus in codicem, quo uſus eſt, culpam reiiciet. Erat tamen hominis intelligentis tam inſigne mēdum animaduertere. Veronenſe exemplar ita habet. εἶδες ὅσα κακὰ ἐκ τοῦ μὴ ἔχειν πνεῦμα ἅγιον; θάνατος, ἔχθρα εἰς θεὸν, τὸ μὴ δύνασθαι ἀρέσαι τοῖς ἐκείνου νόμοις, τὸ μὴ εἶναι, ὡς χριστοῦ τὸ χριστοῦ, τὸ μὴ ἔχειν αὐτὸν ἐνοικοῦν σκόπει τοίνυν καὶ ὅσα ἀγαθὰ ἐκ τοῦ πνεῦμα ἔχειν, τὸ χριστοῦ εἶναι, τὸ αὐτὸν ἔχειν τὸν χριστὸν, τὸ τοῖς ἀγγέλοις ἁμιλλᾶσθαι. τοῦτο γάρ ἐστι νεκρῶσαι τὴν σάρκα, Animaduertēdū tamē uerba illa, ὡς χριστοῦ, τὸ χριστοῦ, in Vaticano exēplari ita melius legi, ὡς χρὴ, τοῦ χριστοῦ; ut ſignificetur ſine ſpiritus ſancti ſocietate hominem non eſſe Chriſti eo modo, quo oportet; ideſt eſſe quidem ſubiectum illius poteſtati, ſed non acceptum uoluntati; & ſi fidem nudam habeat, eſſe membrum Chriſti numero, non merito. Totus igitur locus ita uertendus. [vides, quot mala ex eo, quòd ſpiritus Sanctus non habetur, proficiſcuntur? mors, inimicitia

inicitia in Deum, non posse illius legibus obtemperare, non esse Christi eo modo, quo oportet, non habere ipsum inhabitantem. Considera itidem, quot bona existunt ex eo, quòd spiritus habetur; Christi esse, ipsum habere Christum, Angelos æmulari, & cùm iis quasi certare. Hoc est enim mortificare carnem]

IBIDEM.

[Deinde eadem quoque ratione adiecit, peccato, ut discas, quòd malitiam non omnino funditus una uice à natura corporis abstulerit] His uerbis nihil & ueritati, & autoris sententię magis repugnans. Chrysostomus enim Valentini, & Manichęorum (quos nostrę tempestatis hæretici imitati sunt) pestilentes hæreses uehementissime oppugnans, cùm aliis locis, tùm hac potissimum tota homilia id agit, ut naturam ipsam non solum mentis, sed etiã carnis esse bonam demonstret, atque habitasse quidem in ea peccatũ, uerùm totũ per Baptismũ auferri; ut nihil iã sit in renatis, quod propriè peccati rationem habeat; ideoq; à Paulo uocari corpus mortuum, non absolutè, sed peccato ἵνα μάθῃς, ὅτι τὴν πονηρίαν, οὐ τὴν φύσιν τοῦ σώματος καθάπαξ ἀνεῖλεν, idest, ut discas, quòd Spiritus Sanctus inhabitans non ipsam naturam corporis, sed uitiositatem semel destruxit] Cęterùm hoc quoque loco Musculus codicem causari fortasse potest. Nam & in Veronensi mendum est. Facile tamen ad deprehendendum erat. In Vaticano quidem, & aliis manuscriptis exemplaribus ita sine ulla litura legitur, quemadmodum nos recitauimus. Eadem hæc sententia sæpè à Chrysostomo repetitur. In vndecimo potissimum sermone in Epistolam ad Philippenses de baptismo agens hanc rem copiosè explicat. οὕτως πᾶσαν ἡμέ σαμεν κακίαν & quę sequuntur. Hæc pauca ex illis Homiliis notasse satis sit. Nunc editionem omnium Operum Parisiis 1556. impressorum nobis proponentes (nam quamuis nonnullę recentiores sint, nihil tamen noui addiderunt) à quarto tamen uolumine, quod primum cum gręco exemplari con-

ri conferre iussi sumus, initium sumentes, institutum persequemur.

EX PRAEFATIONE IN EPISTOLAM AD ROMANOS.


IQVIDEM & Aggęus, & Zacharias, & alii aliquot post Ezechielem, & Danielem, prophetias ediderunt, & multi item post Ionam, & Sophoniam, cæterosquè omnes: sed tamen cum illis omnibus coniuncti sunt, à quibus tanto temporis interuallo distant] ad uerbum ferè ex gręco exemplari impresso: sed sententia prorsus nulla. Nã significatur multos, qui prophetias ediderint post Ionam, & Sophoniam, & cęteros omnes, qui duodecim minores prophetæ dicuntur, coniungi in bibliis cum illis duodecim; quod neque ad id, quod sibi uolebat Chrysostomus, quicquam facit, & multis modis perspicuè falsum est. Neque enim prophetę post illos duodecim extiterunt; neque, ut extitissent, ullius scripta habemus. Optimus, & peruetustus Vaticanus codex ita habet. καὶ πολὺ μετὰ τὸν ἰωνᾶν; ubi impressus, καὶ πολλοὶ μετὰ τὸν ἰωνᾶν. Ita unius literulę restitutione totus locus, qui me diu torserat, restituitur. Hoc enim modo uertemus. [Siquidem & Aggęus, & Zacharias, & alii aliquot post Ezechielem, & Danielem prophetias ediderunt, ac multo post Ionam, & Sophoniam, cæterosque omnes]; ut illud indicetur, quamuis Aggęus, Zacharias, Malachias propius abfuerint ab Ezechiele, & Daniele, quàm à Iona, Sophonia, & cęteris illis antiquioribus, tamen ratione temporum minimè seruata, coniunctos potius fuisse in bibliis cum uetustioribus illis, quàm cum Ezechiele & Daniele: cuius rei causam fuisse prædictionum breuitatem, ut alios nunc omittam, docet Theodoritus initio commentariorum in duodecim Prophetas. Hanc esse Chrysostomi germanã sententiã constat etiam ex Theophylacto: qui de hac eadẽ re loquens, inquit, πολλῷ διεστηκότες ἀλλήλων.

IN HOMILIA SECVNDA
Colum. Decimaqu nta.



SIQVIDEM & tum Romanorum Imperium sapienter regebatur; quòd si modum ignoras nolito ægreferre]Non puto hoc affirmare uoluisse Chrysostomum tunc ab improbis illis Tyrannis sapienter esse administratum imperium Romanum. Sed perpendebat Pauli modestiam; qui cum illuc usque prohibitum se à Deo intelligeret, quominus suam Romanos uisendi auiditatem expleret; causam tamen non exquirebat, cur prohibitus esset; sed omnia sua tacitus, ac libens sapientissimo, & amantissimo illi Patri committebat. Inducit igitur Chrysostomus se ipsum cum Paulo sermocinantem, atque ostendentem meritò tali illum animo preditum fuisse: nihil enim causæ esse; cur diuinæ uoluntatis causas curiosius scrutaretur: Quòd si pro Romanorũ salute laboraret, bono illum animo esse oportere, ἐπεὶ καὶ τότε σοφῶς ᾠκονόμει τὰ τῶν ῥωμαίων, idest, quoniã etiam, dum tu Paule abes, ea quę ad Romanorum salutẽ pertinent, sapienter Deus administrabat. Nihil igitur loquitur Chrysostomus de imperio, sed de salute Romanorum; quam cum Paulus procuraturus eò uellet accedere; prohibitus tamen erat, aliis interea modis diuina prouidentia illorum incolumitati consulente.

IN HOMILIA TERTIA
Colum. vigesimaquarta.



QVID igitur faciendum erat? ad necessitatem, & vim veniendum? at hoc non licet fortibus, ac virtute prędictis]Non nunc id agitur, vtrum viro forti liceat ad vim venire. Sed hoc sibi vult Chrysostomus, rectè se gessisse Deum, cum eos traderet in ignominiam; qui multis modis ad virtutem, Deique cognitionem inuitati, omnia in deteriorem partem conuerterant. Quid enim, (inquit) Deo faciendum erat? num ad necessitatem, ac vim veniendum?

ἀλλ' οὐκ ἔςι τοῦτο ποιεῖν ἐναρέτες, ideſt hoc non eſſet probos, ac virtute præditos reddere: nimirum ob eam cauſam, quòd virtus eatenus virtus eſt, quatenus non vi, ſed voluntate ſuſcipitur: quam ſententiam Sanctus auctor ſæpe repetit.

IN HOMILIA 5. col. 38. A.

[ADVERSVS quos nunc obiter depugnans, oſtendit, quòd vel ſuperioribus illis temporibus, antequam etiam lex data eſſet, hominum natura omnimodam prouidentiam aſſequuta fuerit] Illud [omnimodam] de ſuo addit Interpres. Ac ſanè quamquam Dei ſemper perfecta pro temporum, ac rerum conditione ſunt opera, tamen abſolutè, tunc plena, integra, & vt ipſius Brixii vocabulo vtar, omnimoda prouidentia à Sanctis patribus nominari ſolet; cum beata illa aduenit plenitudo temporis, cum nubes pluerũt iuſtum, terraque germinauit Saluatorem.

IN HOMILIA 8. col. 62. D.

✠ DEVS porrò rebus in glorioſis, ſplendidis, ac magnis ſe ipſe venditat] Abſurda in Deo loquutio, ἐνδείκνυται, ideſt ſeſe ſpectandum prębet.

IN HOMILIA 12. col. 101. B.

✠ QVIS tandem eouſque miſer, eouſque infelici ſydere natus eſſe queat, vt ne ſtudii quidem tantumdem Chriſti, quantum peccati, ac Diaboli ſeruituti impendat?] loquutio illa, infelici Sydere natus, in chriſtiano homine non ſatis probatur. ἄθλιος, καὶ ταλαίπωρος, ideſt miſer, & infelix.

IN HOMILIA 13. col. 114. D.

[VIM atque iniuriam ſubſtineo] Nihil neceſſe erat ſuſpectam illam vocem [vim] hoc loco addere: ἐπήρειαν ὑπομένω ideſt inſultum quendam ſubſtineo.

Col. 24.

Col. 24. A.

[NAM vbicumque spiritus, vna triadis substantia adfuerit, adest & ipsa Trias] Spiritus sanctus non rectè dicitur vna triadis substantia. Substantiæ enim nomen apud Latinos, quemadmodum apud Græcos τὸ τῆς οὐσίας, significat ipsam essentiam, quæ in tribus personis eadem est. Chrysostomus inquit μία ὑπόστασις: quare ita vertendum. [Nam vbicumque vna Trinitatis persona, idest spiritus adfuerit, adest, & ipsa Trinitas.

Ibidem. B.

[NEQVE enim dixit corpus iam à peccato retardari, sed & mortuum esse, cursuum facilitatem intendens] Obscuratur, aut potius peruertitur pulcherrima Autoris sententia. Chrysostomus expendens, quot bona proueniant ex eo, quod Spiritum habemus, inter cętera hoc commemorabat; quod illius ope adiuti possumus in virtutis via facillimè currere; idque ex verbis Apostoli eliciens, notabat, non satis illi fuisse ita dicere, corpus post aduentum Spiritus vacare à peccato, sed significantius ad maiorem cursus facilitatem indicandam dixisse, Corpus mortuum esse, quod ad peccatum pertinet, idest planè mortificatũ. Non enim natura corporis, sed ipsa improbitas deleta est, vt aduersus Musculum diximus Græce ita habet. οὐ δὲ γὰρ εἶπεν, ἀργεῖν τὸ σῶμα λοιπὸν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀλλὰ καὶ νεκρὸν εἶναι, ἐπιτείνων τὴν εὐκολίαν τῶν δρόμων. idest, non enim dixit corpus vacare in posterum à peccato, sed & mortuum esse, intendens cursuum facilitatem] In Veronensi legebatur τὴν ἁμαρτίαν, sed mendum correximus ex Vaticano.

126. C.

[INTEMPERIIS acto miseriorem] Eo, qui à Dęmone sit correptus, miseriorem; δαιμονῶντος ἀθλιώτερος. Eodem modo corrigatur hom. xv. col. 145. c.

IN HOMILIA 32. col. 273. C.

[QVOD licet tolerantissimum fuerit, ferre tamen non potuit præcognitum tempus, quo defecturi erant Thessalonicenses] Inæptissima sententia, & nihil ad Chrysostomum. Qui cum eò prouectus oratione esset, vt ostenderet se ardenti quodam desiderio teneri singula Pauli membra etiam in puluerem redacta spectãdi, & ad cor venisset; multis illud Encomiis ornat, & hoc inter cætera. τὴν καρτερικωτάτην, καὶ οὐ στέγουσαν καιρὸν ὥρας ἀποστῆναι Θεσσαλονικέων. idest cor illud, quod cum tolerantissimum esset, tamen ne horæ quidem spacium à Thessalonicensibus abesse facilè patiebatur]. Accipit enim Chrysostomus hanc sententiam ex illo Pauli loco. 1. Thess. 2. [Nos autem fratres desolati à vobis ad tempus horę, aspectu, non corde, abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio.]

IN EPISTOLAM PRIMAM AD CORINthios ex argumento col. 285. A.

[INGLVVIE sua Idolorum sacrificia gustantes, & sacris penitus dediti] Absurda coniũctio. Chrysostomus verò ita inquit. ὑπὸ γαστριμαργίας τῶν εἰδωλοθύτων ἀπογευόμενοι, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κατακλινόμενοι, idest ex voracitate idolothyta degustantes, & in templis discumbentes]

HOMILIA 2. col. 292. B.

[NAM cum per eum, & in eo frequenter de filio verba faceret; ne arbitrarentur illius tamquàm minoris meminisse, attribuit id patri] Nullo, aut absurdo sensu. ἐπειδὴ γὰρ δι' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ συνεχῶς ἔλεγε περὶ τοῦ υἱοῦ, ἵνα μὴ νομίσωσιν, ὅτι ὡς ἐλάττονος αὐτοῦ οὕτως μέμνηται, προσένειμεν αὐτὸ τῷ πατρὶ idest [Nam quoniam dictiones illas, [per ipsum], & [in ipso] continenter filio accommodauerat, ne existiment factam esse hoc modo ipsius mentionem quasi minoris; eodem loquendi modo in patre vtitur]

Ibidem

Ibidem. D.

[NAM hoc & ipsa bona iniuria afficeret; nisi eiusmodi esset natura, vt volentibus & his, qui plurimam se gratiam habituros sciant, sese offerat] ἐπεὶ τοῦτο καὶ αὐτὰ διαβάλλει τὰ ἀγαθὰ, εἰ μὴ τοιαύτη αὐτῶν ἐστιν ἡ φύσις, ὡς καὶ ἑκόντας προσδραμεῖν, καὶ χάριν εἰδότας πολλὴν, idest quandoquidem hoc ipsamet bona dedecorat; si ipsorum natura minime talis sit, vt homines & sponte sua, & plurimam habentes gratiam ad ea accurrant.

HOMILIA col. 298. B.

[SED quemadmodum quoque dixerunt Apostoli super viduis; non est placitum, vt prætermisso verbo Dei ministremus mensis, sic in hoc loco ministrauit, illis non contradicens, sed ex abundantia operatus. Si quidem nunc senioribus quidem, qui inutiliores sunt, hoc munus tradimus, verbũ autem quod doceant sapientioribus.] Audi Chrysost. ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐπὶ τῶν χηρῶν, εἰπόντων τῶν ἀποστόλων οὐκ ἔστιν ἀρεστὸν καταλιπόντας ἡμᾶς τὸν λόγον τοῦ θεοῦ διακονεῖν τραπέζαις, διηκονήσατο, οὐκ ἐναντιούμενος ἐκείνοις, ἀλλ᾽ ἐκ περιουσίας ποιῶν, οὕτω καὶ ἐνταῦθα· ἐπεὶ καὶ νῦν τοῖς μὲν ἀφελεστέροις τῶν πρεσβυτέρων τοῦτο ἐγχειρίζομεν, τὸν δὲ διδασκαλικὸν λόγον τοῖς σοφωτέροις. idest. Sed quemadmodum cum in viduarum causa dixissent Apostoli [non est ęquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis], ipse tamen ministrauit, non illis aduersatus, sed pleniore mensura operans; ita & hoc loco. Siquidem & nunc iis quidem qui inter presbyteros sunt simpliciores, & rudiores, hoc iniungimus, docendi autem munus sapientioribus] *Act. 6.*

HOMILIA 4. col. 302. D.

[ABSVRDVM profectò est, inquit, nec immerito. Etenim ò homo supra rationem est, & inenarrabilis virtutis Crux] Non placet res fidei vocari absurdas. οὐκ ἂν ἔχοι

λόγον φησί. καὶ γὰρ ὑπὲρ λόγον ἐστὶν ἄνθρωπε, καὶ ἀφάτου δυνάμεως ὁ σταυρός. idest Non id rationi sit consentaneum, inqui:: Nihil mirum: Etenim ò homo &c.

HOMILIA 6. col. 319. A.

[RATIONI hoc subiiciamus. Aduersus namque Gentilem mihi iam certamen est, idcirco secundum positionem sanè futurum dico. Subiiciamus igitur rationi, & patiatur Gentilis verbis meis saltem consentientibus acquiescere, hoc est, quòd Christus veniet] ὑποθώμεθα τῷ λόγῳ (πρὸς γὰρ τὸν Ἕλληνά μοι τέως ὁ ἀγών. διὰ τοῦτο καθ' ὑπόθεσιν λέγω τὸ πάντως ἐσόμενον) ὑποθώμεθα τοίνυν τῷ λόγῳ, καὶ ἀναχέσθω πιστεῦσαι ὁ ἄπιστος κἂν κατὰ συνδρομὴν τοῖς λεγομένοις, οἷον ὅτι ὁ Χριστὸς ἥξει. Interpres non percipit, quid sit κατὰ συνδρομὴν, quemadmodum neque infra hom. xii col. 358. c. vbi cum dicat Chrysostomus, κατασκευάσας τοίνυν κατὰ συνδρομὴν τὸν λόγον, ipse vertit [confirmata igitur vt oportuit, ratione sua]: quare pulcherrimas sententias valde obscurauit. Aperiamus igitur nos, quid vtroque loco optimus Autor sibi voluerit. Ammonius in Categoriis obseruat duplicem esse modum reprehendendi obiecta; vnum cum damus, quod ab aduersario obiicitur, sed nihil inde aduersus nos confici ostendimus; alterum, cum neque illud damus, sed refellimus accuratè. Hunc posteriorem modum ἔνστασιν vocat; priorem illum ἀντιπαράστασιν; quem quidem à rhetoribus nostris videor meminisse concessionem vocari: idque est, quod Chrysostomus κατὰ συνδρομὴν nominat. quẽadmodum etiam in homilia vi. in Epistolam ad Romanos ad ea verba [sit autem Deus verax] τὸ ἀληθῶς; inquit, γεγενημένον κατὰ συνδρομὴν συγχωρῶν. in octaua autem homilia in secundam ad Timotheum in morali digressione vocat συγχώρησιν. In Homilia igitur xii. primæ ad corinthios, vt ab ea ordiamur, hoc sibi vult. Reprehensurus erat Paulus Corinthios tamquam superbos, nimiumque sibi arrogantes, perinde atque omnia iam consequuti essent. Primùm igitur vtitur concessione. Dat enim illos omnia cõsequutos:

sequutos; ac nihilominus ostendit nihil propterea fuisse loci arrogantiæ. Non enim ipsi sibi ea bona pepererant; sed à Deo acceperant. Deinde verò, quod dederat, euertit; ostenditque tantum abesse, vt omnia sint consequuti; vt multa potius, ac magna adhuc illis desint; quod genus reprehensionis ἔνστασις est. Ideo inquit κατασκευάσας τοίνυν κατὰ συνδρομὴν τὸν λόγον, δείκνυσιν, ὅτι καὶ πολλῶν αὐτοῖς δεῖ. Idest cum per concessionem conclusisset rationem, dans nimirum illos] omnia consequutos; nunc repetit, quod dederat; negatque illos perfectos esse; multis enim adhuc egere. Hinc facilè etiam explicatur locus sextę homilię. Probaturus erat Chrysostomus miracula initio quidem fuisse vtilia, postea vero futura fuisse inutilia; eam nimirum ob causam, quòd nullum fidei meritum esset. Id vt ostendat; sumit, Christum plenum maiestatis venturum ad iudicandum: quod certissimum quidē est; verùm quoniam cum infideli disputatio habebatur, qui id negabat; petit ab eo, vt ad tempus id sibi concedat; dum videat, num quod volumus, idest inutilia nunc esse miracula, Christi aduentu concesso, sequatur, nec ne. Nam si non sequitur; vana est omnis argumentatio. sin autem sequitur (quod se ostensurum Chrysostomus profitetur); satis id erit ad indicandam nostrorum dogmatum connexionem, & constantiam; neque infideles admirari amplius sinet, cur hoc tempore miracula non existant. Totus igitur locus ita vertendus est.

[Supponamus in hac ratiocinatione (nam cum græco nobis iam concertatio est: propterea, quod omnino futurum est, ex suppositione accipio) supponamus igitur in ratiocinatione, neque recuset infidelis tametsi ex concessione, & conuentu quodam, iis, quæ à nobis dicuntur, assentiri; cuiusmodi hoc est Christum venturum]. Qui antecedentia verba, & consequentia animaduerterit, non dubitabit, opinor, hanc esse germanam Chrysostomi vtroque loco sententiam.

HOMI-

HOMILIA 7. col. 325. D.

[Non igitur per disciplinam habitum erga nos honorem ostendit, neque per communicatam cum Angelis, sed per disciplinam Spiritus sancti] οὐ τοίνυν μόνον τὸ μαθεῖν δείκνυσι τὴν εἰς ἡμᾶς τιμὴν, καὶ τὸ μετ' ἀγγέλων μαθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ μαθεῖν, idest. Non igitur illud solum honoris in nos collati argumentum est, quòd didicimus, & quòd vnà cum Angelis didicimus; sed & illud, quòd ab ipso spiritu didicimus] Dictio illa μόνον restituta est ex vetusto exemplari.

Ibidem.

[Deinde de Spiritus cognitione diligẽter loquutus, cùm docuerit, quòd ita ad Dei cognitionem peruenitur, quemadmodum ad hominum cognitionem per seipsum] Absurdissim. εἶτα περὶ τῆς τοῦ πνεύματος γνώσεως μετ' ἀκριβείας εἰπὼν, καὶ δείξας, ὅτι οὕτως ἐξισάζει πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ γνῶσιν, ὡς ἡ ἀνθρώπου γνῶσις αὐτὴ πρὸς ἑαυτήν. idest, Deinde cùm de cognitione spiritus exquisitè, ac subtiliter loquutus esset; atq; ostendisset, quòd ęquè se habet ad cognitionem Dei, atque cognitio hominis ipsa ad se ipsam.]

Col. 330. B.

[Nam facilius omnia mutare quispiam posset, quàm religionem, & consuetudinis reuerentiam. Illud sane erat ad impediendum sufficiens, quòd in vltima senectute aliud quiddam, & ab indoctioribus doceri viderentur] πάντα γάρ τις εὐκολώτερον ἀμείψειεν, ἢ τὰ περὶ θρησκείας. καὶ τὸ αἰσχύνεσθαι δὲ μετὰ τῆς συνηθείας ἱκανὸν ἦν ἐμποδίσαι, καὶ τὸ δοκεῖν ἐν ἐσχάτῳ γήρᾳ μεταμαθεῖν, καὶ παρὰ τῶν ἀσυνετωτέρων. idest, Omnia enim quis facilius mutarit, quàm ea, quæ ad religionem pertinent. Simul autem cum consuetudine, sufficiebat etiam ad impediendum verecundia ex eo suscepta, quòd in extrema senectute viderentur priora dediscere, & ab imprudentioribus discere.

HOMI-

HOMILIA 8. Col. 337. A.

[DEINDE cum ea opinione, ut scilicet, omnes unum sint, negligentiores efficiantur & hi, qui multum, & hi, qui remissius operantur] εἶτα ἐπειδὴ τοῦτο ῥαθυμοτέρους ἐποίει, τὸ πάντας ἓν εἶναι νομίζεσθαι καὶ τοὺς πολλὰ καμόντας, καὶ τοὺς ἐλάττω. idest, Deinde quoniam ista opinio (nimirum & eos qui plures labores suscepissent, & eos qui pauciores, unum esse) negligentiores faciebat]

Ibidem.

[INDE rursus hoc auget, ut quod uult, efficiat & gratificatur quantũ licet, ambitiose] εἶτα καὶ λιπαίνει πλέον αὐτὸ, κατορθώσας ὅπερ ἐβούλετο, καὶ χαρίζεται ἐν οἷς ἔξεστι, μετὰ φιλοτιμίας. idest Deinde adhuc magis idem mollit, cum iam correxisset, quod volebat; & gratificatur, in quibus licet, largè, & liberaliter]

HOMILIA 12. col. 352. D.

[SIC Paulus quum posset multa cum indignatione in fornicatorem ferri, non tamen fecit; sed horrendis uerbis primum hominis fastum contundit] Οὕτως, καὶ τότε συνέβαινε. καὶ γὰρ ἔχων μετὰ πολλῆς ἀγανακτήσεως χρήσασθαι τῷ πεπορνευκότι, φοβεροῖς ῥήμασι καταστέλλει πρότερον τὸ φύσημα τοῦ ἀνδρός. Idest Ita & tunc euenit. Nam cum iam multa cum indignatione fornicatorem tractaturus esset; terribilibus primum verbis fastum hominis deprimit]

Ibidem. C.

[QVVM igitur talis sit fornicator, & animo tam temerario, tàm intractabili in peccato, necessario eius cõtundit insolentiam: neque simpliciter primum ponit peccatum, ut nõ in impudentia perstet, tãquàm ante alios accusatus, neque posterius, ut non superuacaneam suam putaret accusationẽ] ἐπεὶ οὖν τοιοῦτος ἦν ὁ πεπορνευκὼς, καὶ τὴν ψυχὴν οὕτως

ἰταμὴν, καὶ δυσένδοτον εἰργάσατο διὰ τῆς ἁμαρτίας, ἀναγκαίως αὐτοῦ προκαταβάλλει τὸν τῦφον. καὶ οὔτε πρῶτον τίθησι τὸ ἔγκλημα, ὥστε μὴ ἀπαναισχυντῆσαι αὐτὸν, ὡς παρὰ τῶν ἄλλων ἐγκαλούμενον. οὔτε δὲ ὕστερον, ὥστε αὐτὸν μὴ νομίσαι πάρεργον εἶναι τὸ κατ' αὐτόν : ideſt. Quoniam igitur talis erat is qui fornicationem commiſerat, atque animam adeo impudentem, atque intractabilem per peccatum reddiderat; neceſſariò illius tumorem primùm deiicit. Ac neque primo loco ponit accuſationē, ne ille impudentior fiat, tamquam ante alios accuſatus, neque poſteriore loco, ne ille obiter, & præter inſtitutum putet ea tractari, quæ ad ipſum pertinent.

HOMILIA 12. col. 358. C.

[NVNC autem reprehenſione vtitur, dicens, iam ſaturati eſtis] ἐνταῦθα δὲ ἐντρεπτικῶς ποιεῖ λέγων, ἤδη κεκορεσμένοι ἐστέ. Non percipit Interpręs, quid ſignificet ἐντρεπτικῶς ποιεῖν & λόγος ἐντρεπτικός, atque idcirco multas, & pręclaras Chryſoſtomi ſententias obſcurat, & peruertit. Significat igitur iſta dictio, quod alibi copioſius oſtendi, inuerſam quandam orationem; quæ aliud in fronte pręſeferat, aliud præſtet in receſſu; ac ſæpè ſpeciem quidem laudationis habeat; ſed cum vel ipſemet, qui laudatur, eas laudes nullo pacto agnoſcat, atque idcirco ironicè datas non dubitet; neceſſariò inde verecundia, ac pudore perfundatur. Talia illa ſunt, Iam ſaturati eſtis; ſine nobis regnatis; Nos ſtulti, vos ſapientes; & cętera pręclara, quę ſequuntur. Quamobrem notat Chryſoſtomus huiuſmodi entrepticas Orationes duabus propè contrariis conditionibus eſſe prędítas. Nam & altiorem inferunt plagam, quàm aperta obiurgatio; & id ſimul pręſtant; vt qui arguitur, cum grauius ſecetur, patientius tamen ferat. Poſſumus igitur nos verbo non ſatis latino, ſed Eccleſiaſticis Scriptoribus vſitato confundentes Orationes, aut ſi mauis, pudefacientes, pudorem exprimentes appellare; atque hoc modo propoſita verba vertemus. [Hoc autem loco confundente oratione vtitur dicens [iam ſaturati eſtis.]

HOMI-

HOMILIA 15. col. 381. C.

[NAM quum aliæ futurorum figuræ eſſent, cur factæ fuerint, cauſas habuit. Aliis autem non reſpondent, ne quis eos poſſit reprehendere, quòd in tenebris permaneant] ἐπεὶ τὰ μὲν τύποι τῶν μελλόντων ἦσαν, καὶ αἰτίας εἶχε τῶν γινομένων: τὰ δὲ οὐκ ἔτι: ἵνα μὴ δόξῃ καινουργεῖν ἰουδαίοις, ἵνα μὴ ἐπιμένωσι τῇ σκιᾷ. ideſt, Quandoquidem alia quidem figuræ futurorum erant, ſimulque cauſas habebant, cur fierent; alia autem minimè. Quamobrem nulla eſt ſubdola ratio, ad quam confugientes Iudæi poſſint oſtendere ſeſe ad vmbram non adhęreſcere] Sententia enim Chryſoſtòmi perſpicuè hęc eſt, ex rebus, quę in illa Iudęorum ex Aegypto profectione euenerunt, licet omnes eſſent figurę futurorum, tamen quarundam fuiſſe præterea præſentes etiam cauſas, cur eo tempore fieri deberent, (vt ſubmerſionis Aegyptiorum, licet ſubmerſionem hoſtium noſtrorum ſpiritalium per Baptiſma futuram ſignificaret, euidens tamen tunc etiam erat cauſa, cur fieret, nimirùm iniurię ab Aegyptiis in Hæbreos illatę); quarundam verò nullas ſatis aptas cauſas fuiſſe, ſed tantum ſignificare futura; atq; ex his conuinci poſſe Iudęos.

HOMILIA 16. col. 388. A.

[PER exceſſum nos edocet, non opus eſſe omnia gentilibus exhibere. Monet enim quid opponi poſſe videbatur, & id primum ſoluit] μεθ' ὑπερβολῆς ἡμᾶς διδάξαι βουλόμενος, ὅτι, οὐδ' ἂν ὁπουοῦν ᾖ, τοῖς ἔξωθεν ἑαυτοὺς διδόναι χρὴ, τὴν δοκοῦσαν εἶναι ἀντίθεσιν κινήσας, προηγουμένως ταύτην ἔλυσεν. ideſt copioſiſſimè docere nos volens, nullam ob cauſam, qualiſcumque ea ſit, oportere nos ipſos externis iudicibus committere, mouens id, quod opponi poſſe videbatur, principio iſtud ſoluit]

HOMILIA 19. col. 403.

✠ [QVOD ſi dimittere vis, cum vir permittat; ad breue ſaltem tempus fiat] Abſurda ſententia; quaſi permittente viro non liceat vxori etiam ad longum tempus ſe continere. Græcè ita habet. εἰ δὲ ἀποστῆναι βούλει, ὅταν ὁ ἀνὴρ ἐπιτρέπῃ, κἂν πρὸς βραχὺ, τοῦτο γίνεται. ideſt, Quòd ſi abſtinere vis, cũ vir permiſerit, id faciendum eſt; etiam ſi ad breue tempus id fiat.

Col. 405. A.

✠ [QVEMADMODVM enim cum de abiiciendis meretricibus diſputat, correctione rem facit faciliorem his verbis, non vtique fornicariis huius mundi] Abſurda ſententia, quaſi Paulus difficultatem abiiciendarum meretricum hac correctione minuat; vt ſatis ſit abiicere meretrices fideles, minimè autem opus ſit abiicere fornicarias mundi huius. Igitur nihil hic de abiiciendis meretricibus: ſed indicat Chryſoſtomus locum ex eadem Epiſtola. c. v. Vbi Paulus iubebat ſeparari à fornicariis, ideſt cum illis non communicare; hac tamen correctione; vt non quidem à fornicariis huius ſeculi ſeparari iuberet (alioquin in ſolitudinem neceſſario abeundum fuiſſet; quippe cum per ea tempora plerique eſſent infideles, & fornicarii) ſed tantũ ab iis, qui intus ſunt, ideſt qui fidem ſuſceperant, eamq; deinceps morum improbitate inquinabant. Græcè ita habet. ὥσπερ γὰρ περὶ τοῦ χωρίζεσθαι πόρνων διαλεγόμενος τῇ ἐπιδιορθώσει τὸ πρᾶγμα πεποίηκεν εὔκολον, εἰπὼν, καὶ οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου. ideſt. Nam quemadmodum cum ſeparari oportere à fornicariis diſſereret, correctione quadam rem facilem reddidit dicens, & non omnino fornicariis mundi huius.]

Col. 405. B.

[QVAEDAM enim Spiritualia ſunt, quorum alia quidem virum, alia autem Deum ſpectant: quædam vero præ-

ſentis vitę. Illa autem particula, volo vos ſine ſolicitudine eſſe, dimittit tamen ita dominos [Corruptiſſimè]. τὰ μὲν γὰρ πνευματικά ἐστιν, ὅτι ἡ μὲν τὰ τοῦ ἀνδρὸς, ἡ δὲ τὰ τοῦ θεοῦ μεριμνᾷ. τὰ δὲ τοῦ παρόντος βίου, τὸ θέλω ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι· ἀλλ᾽ ὅμως καὶ οὕτως ἀφίησι κυρίους. i. Nam partim quidē ſpiritalia ſunt, cuiuſmodi eſt illud [hæc quidem ea, quæ viri, illa autem, quę Dei ſunt, cogitat] partim verò ad pręſentem vitam pertinent, vt illud, [Volo vos ſine ſolicitudine eſſe] Aç nihilominus, tametſi res ita ſe habeat, relinquit dominos] ideſt, dat illis optionem, ac rem eorum poteſtati, atq; arbitrio permittit.

HOMILIA 20. col. 410. D.

[QVEMADMODVM enim propria cuiuſque virtus inſolentes ea pręditos reddit] Imo, quoniam virtus in mediocritate conſiſtit, idcirco, vt Ariſtoteles inquit, quò maior, eò moderator. ὥσπερ γὰρ τὸ μόνον ἔχειν ἐπαίρει. ideſt, Quemadmodum enim ex eo, quòd ſolus habeas, oritur elatio]

Col. 412. C.

[VIDE, quo pacto, non vt ſimpliciter edoceat, hęc ſcribit, ſed ad externorum diſtinctionem. Etenim hoc vbique ſeruandum eſt, ſiue abſolutè aliquid dicat, ſiue aduerſus aliquos opponatur. Neque enim caſus in doctrinæ certitudinem hoc confert, & in ipſum eorum, quæ dicuntur, intellectum]Nihil corruptius. ὁρᾷς πῶς οὐχ ἁπλῶς δογματίζων, γράφει ταῦτα, ἀλλὰ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἔξωθεν, καὶ γὰρ καὶ τοῦτο πανταχοῦ χρὴ παρατηρεῖν, εἴτε ἀπολελυμένως λέγει, εἴτε πρός τινας ἱστάμενος. οὐδὲ γὰρ τὸ τυχὸν εἰς τὴν τῶν δογμάτων ἡμῖν ἀκρίβειαν τοῦτο συντελεῖ, καὶ εἰς αὐτὴν τῶν λεγομένων τὴν κατανόησιν. ideſt, Vides hæc à Paulo ſcribi non tamquam dogma ſtatuente, ſed vt ſeſe gentilibus opponat? Nam & id vbique obſeruandum eſt; vtrum abſolutè pronunciet, an aliquibus ſeſe opponens. Non vulgariter enim hoc nobis confert ad certitudinem dogmatū, & ad ea ipſa, quę dicuntur, percipienda.

HOMI-

HOMILIA 21. col. 418. B.

✠ [Præter legem Paulus fecit] imo supra legem fecit: ὑπὲρ τὸν νόμον, id est, Amplius & maius quiddam fecit, quàm quod à lege postulabatur.

HOMILIA 22. col. 429. D.

✠ [Itaque abiicere dumtaxat argumentum debere me arbitrabar: ego autem, vt exigerem, omnia faciebam] Sententia personæ Pauli, quam tunc Chrysostomus inducebat, parũ conueniens. τοῦ γὰρ καταβαλεῖν τὸ ἀργύριον ὑπεύθυνος ἤμην μόνον. ἐγὼ δὲ καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀπαιτῆσαι πάντα ἐποίουν. id est. Debitor tantum eram expendendi argentum. Ego autem, vt & aliquid mihi reddendum esset, omnia faciebam] Indicat autem locum ex Euangelio Lu. x. de Samaritano, [qui protulit duos denarios, & dedit Stabulario, & ait, curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi]

HOMILIA 39. col. 558. A.

✠ [Quemadmodum enim in morte animę, qui mortuus est, á peccato iustificatus est, & nemo hoc victoriam esse dicit. Vincit enim, non qui viciis non congressus est, sed qui hisce captiuus explicuit se tamen] Si adest mors animæ: quomodo cum vitiis congressus non est? imo congressus est, & succubuit. Græcè ita habet. ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τοῦ θανάτου τῆς ψυχῆς, ὁ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, καὶ οὐκ ἂν εἴποιμεν τοῦτο νίκην εἶναι, ἐκεῖνος γάρ ἐστιν ὁ νενικηκώς, οὐχ ὁ μὴ προσθεὶς τοῖς κακοῖς, ἀλλ' ὁ τὴν ἤδη γεγενημένην τῶν παθῶν αἰχμαλωσίαν διαλύσας. Idest, Quemadmodum enim in morte animę, qui diem suum obiit, iustificatus est à peccato; neq; id tamen dixerimus victoriam esse (ille enim vicisse dicendus est, non qui nihil iam addit ad mala, sed qui iam factam affectionũ, & cupiditatum captiuitatem dissoluit)] Vtitur autem Chrysostomus verbis Pauli ad Rom. c. 6 [Qui enim mor-

mortuus est, iustificatus est à peccato]: Quorum putat hanc esse sententiam, vt qui ex hoc corpore excessit, iustificatus sit à peccato, quoniam peccare posthac non potest.

HOMILIA 41. col. 572. B.

[Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, præces pro ipsis offerendo; cōmunis totius orbis victima preces sunt. Hinc pleni fiducia pro toto etiam orbe supplicamus]. De industria, vt puto, iste Symon Grynęus pulcherrimam, maximeque catholicam Chrysostomi sententiam peruertit. μὴ δὴ ἀποκάμωμεν τοῖς εἰσελθοῦσι βοηθοῦντες, καὶ προσφέροντες ὑπὲρ αὐτῶν εὐχάς. καὶ γὰρ τὸ κοινὸν τῆς οἰκουμένης κεῖται καθάρσιον. διὰ τοῦτο θαῤῥοῦντες ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης δεόμεθα τότε. idest ne defatigemur iis, qui decesserunt, auxilium ferre, & preces pro ipsis offerre. commune enim totius orbis expiamentum propositum est. Hoc freti pro toto Orbe tunc supplicamus]. Significat autem apertissimè Chrysostomus augustum illud Missę sacrificium; quod precibus vim suppeditare, diuinitus, & copiosissimè eo loco docet: quemadmodum, & tertia digressione morali in Epistolam ad Philippenses (quę tota continetur in homilia 73. ad populum Antiochenum) & alibi sæpe.

HOMILIA 2. col. 576. D.

[Quam ergo habituri sumus veniam, quando vetera illa omnia superare, & relinquere iussi, nondum, quod minimum etiam est, rectum vitæ statum sumus ingressi?] Ecquid maximum est, si hoc minimum? τίνα οὖν ἕξομεν συγγνώμην, ὅταν ὑπερβῆναι τὰ παλαιὰ κελευόμενοι σκάμματα, καὶ ἐλάττονα ἐκείνου τὸ μέτρον τὴν ἑαυτῶν πολιτείαν ὑφαίνωμεν; idest. Quam ergo habituri sumus veniam; quando fines veteribus constitutos transilire iussi, inferiorem etiam mensurā illā viuendi rationem capessimus?

EX SECVNDA AD CORINTHIOS

HOMILIA 2. col. 639. A.

[Christiana vestra vectigalia. Quod est caput bonorum, quod honestum est, idem, & vtile est. Quod honestum nō est, id ne vtile quidem est. Alia est apud nos vtilium natura, pręter vulgi opinionem, videlicet, vt ipsi nosmetipsos viuenti Deo, & Christo commendemus. Nondum de cęteris præcipimus illis, sed tamen chatitatis est, & pro illis sorare, vt possint χριστιανὰ ὑμῶν τὰ τέλη. τὸ κεφάλαιον τῶν ἀγαθῶν, τὸ καλὸν, καὶ τὸ συμφέρον. ὃ γὰρ μὴ καλὸν, οὐδὲ συμφέρον. ἄλλη γὰρ παρ' ἡμῖν τῶν συμφερόντων φύσις παρὰ τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν. ἑαυτοὺς τῷ ζῶντι θεῷ, καὶ τῷ χριστῷ αὐτοῦ παράθεσθε. οὔπω γὰρ τὴν ὑπὲρ ἑτέρων αὐτοῖς ἐπιτρέπομεν, ἀλλ' ἀγαπητὸν ὑπὲρ αὐτῶν δύνασθαι δεῖσθαι, idest, [Christianos vestros fines.] caput bonorum, [honestum & vtile.] Quod enim minimè honestum est, id neque vtile. Longè enim alia apud nos est vtilium natura, quàm vulgus existimet. [Vos ipsos viuenti Deo, & Christo ipsius commendate] nondum enim illis, vt pro aliis orent, mandamus; sed sat benè cum illis agitur; si pro seipsis queant obsecrare.] Recitat autem eo loco Chrysostomus, & planè aurea verborum sententiarumq; copia explicat singulas quasq; partes solemnis illius precationis, quę pro Catechumenis fieri solebat; cuius non modo extant vestigia in liturgiis sanctorum patrum; sed etiam tota iisdem propè verbis habetur apud D. Clementem lib. viii. Constitutionum Apostolicarum cap. vi. Ista igitur. [Christianos vestros fines, [& rursus,] honestum & vtile [& rursus [Vosipsos viuenti Deo, & Christo ipsius commendate] verba sunt ex illa solemni precatione. Cætera, quę interiecta sunt, à Chrysostomo adduntur ad explicandum, qui sint Christianis hominibus propositi bonorum fines; & cur Catechumenis pręcipiatur, vt seipsos tantum commendent non alios. Tale erratum si in scholastico homine depręhendisset Erasmus, impunitum non ferret. Sunt autem apud illum non pauca eiusmodi.

HOM.

HOMILIA 23. col. 755. D.

[Præterea causa accusatione referta est, ac Zelotypia Ideo & posuit illam simpliciter, sed docens vnde, & à quibus educatus sit. Et iterum ipsos sine suspicione extimulat ad eleemosynæ opus] εἶτα καὶ ἡ αἰτία κατηγορείας μεστὴ, καὶ ζηλοτυπίας γέμουσα. διὸ καὶ τέθεικεν αὐτὴν οὐ προηγουμένως, ἀλλ᾽ ὡς διδάσκων πόθεν, καὶ παρὰ τίνων ἐτράφη, ὥστε ἀνυπόπτως διεγείρειν πάλιν εἰς τὸν τῆς ἐλεημοσυνής λόγον. idest, ita & causa ipsa accusationis plena est, & Zelotypiæ. Quamobrem non illam ex principali proposito posuit, sed quasi aliud agens, nimirum tamquam docens, vnde, & à quibus altus fuerit; ita ut, dum illi hoc minime suspicantur, rursus excitet ad eleemosynæ rationem.

col. 757. A.

Quoniam enim non habebat peccata, quę diceret, sed vndique bonis operibus fulgebat, circumcursans, & nihil contra se inueniens, ad naturam ipsam confugit] ἐπειδὴ γὰρ οὐκ εἶχεν εἰπεῖν ἁμαρτήματα, ἀλλ᾽ ἔλαμπεν ἀπὸ κατορθωμάτων, πανταχοῦ περιδραμὼν, καὶ μὴ εὑρὼν τινὰ καθ᾽ ἑαυτοῦ μεγίστην λαβὴν ἐπὶ τὴν φύσιν καταφεύγει. idest, Quoniam enim non habebat peccata, quę diceret, sed bonis operibus fulgebat; quoquo versus circumcursans, & nihil, quod magni ponderis esset, aduersus se inueniens, ad ipsam naturam confugit] Visum est mihi verba illa μεγίστην λαβὴν non esse omittenda, quoniam scilicet non hoc volebat affirmare Chrysostomus Patriarcham Abraham nec venialia quidem peccata habuisse.

HOMILIA 24. col. 760. C.

Sicut enim homicida, quamuis occidere prohibeatur, bona tamen mente sępius id facere eligit, & occidere nō secundum dominum, sed ex bona mente fit, sic & gloriari] Nihil peruersius: ὥσπερ γὰρ ὁ φονεὺς τὴν σφόδρα κεκωλυμένων

ὢν ἀπὸ διανοίας πολλάκις ηὐδοκίμησε, καὶ τὸ περιτέμνεσθαι οὐκ ὂν κατὰ κύριον, ἀπὸ τῆς διανοίας τοῦτο γέγονεν, οὕτω καὶ τὸ καυχᾶσθαι. idest, Sicut enim homicida (quamuis homicidium ex numero eorum criminum sit, quę valde prohibentur) sæpe tamen ex consilio, quo illud commisit, probatus est; itemq; circumcidi, licet secundum Dominum non sit, tamen ex consilio, & mente, qua id gestum est, redditum est domino cõsentaneum; ita & gloriari] Significat autem Chrysostomus in secundo exemplo factum Pauli, qui Timotheum circumcidit; de qua re sæpè etiam alibi egit.

Col. 763. A.

Quare non inuides, quòd grauiter fert? tu autem fœni circumfers onera talia] διὰ τοῦτο οὖν βασκαίνεις, ὅτι οὐκ ἀχθοφορεῖς; οὐδὲ χόρτου περιφέρεις φορτία τοιαῦτα; idest, Ob hanc igitur causam inuides, quòd neque etiam tu graue hoc pondus substines, nequè talia fœni onera circumfers?

In epistolam ad Galatas. 813.

✠ Ille, inquiunt, labitur in ieiunio, neque quicquam est magni] in margine verò apposita sunt hæc verba, Ieiuniũ Iudæorum; quę mihi non probantur. Perspicuè enim doctor Sanctus de Ieiunio christiano loquitur, atque eos taxat, qui labi in ieiunio leue crimen putant.

Col. 839. C.

✠ Et ad quem, inquiet aliquis, Deus condidit testamentum? ad nullum quidem aliorum hominum, pręterquam Abraham. Nam illi dictum est. In semine tuo benedicentur omnes gentes] Falsò dicitur cum solo Abraha Deum fecisse testamentum. καὶ πρὸς τίνα διέθετο ὁ θεός; τῷ Ἀβραὰμ φησὶν, ἐρρήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. idest, Et quocum homine testamentum, ac pactũ Deus fecit? Abrahę, inquit, dictæ sunt promissiones, & semini eius.

Ex Epistola ad Ephesios.

HOMILIA 1. Col. 865. D.

Beneplacitum igitur primariam voluntatem dicit, ve-
hementem scilicet, & quæ cum desiderio, & concupiscen
tia sit, quam habet erga nos. Neque enim vel impuriorem
dictionem perspicuitatis gratia vsurpare recusabo. Quod
nos dicimus ad simpliciorũ persuasionẽ, & cõfirmationẽ,
& ad nostrã quoq; persuasionẽ, hoc est vehementer cõcu-
piscit, vehementer desiderat nostrã salutẽ] Nihil perturba-
tius: nec verò optimè se habet Veronensis codex. Locus ex
manuscriptis ita restituẽdus est. Εὐδοκίαν οὖν τὸ πρῶτον θέλημα
φησὶ, τὸ σφοδρὸν θέλημα, τὸ μετ' ἐπιθυμίας θέλημα, τὸ πεῖσμα. οὐ γὰρ
παραιτήσομαι καὶ κοινοτέρᾳ λέξει χρήσασθαι σαφηνείας ἕνεκεν τῶν
ἀφελεστέρων. οὕτω γὰρ καὶ ἡμεῖς τὴν ἐπίτασιν τοῦ θελήματος δηλοῦν-
τες, κατὰ τὸ πεῖσμα ἡμῶν λέγομεν. ὃ οὖν λέγει, τοῦτό ἐστι. σφόδρα
ἐφίεται, σφόδρα ἐπιθυμεῖ τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας. idest, Be-
neplacitum igitur vocat primam voluntatem, cupidam
voluntatem, contentionem; non enim recusabo, vt ru-
diores facilius percipiant, communiore dictione vti. Ita
enim vulgò vehementiam voluntatis ostendentes sole-
mus dicere κατὰ τὸ πεῖσμα ἡμῶν, idest, quantum contentio
nostra efficere poterit. Quod igitur inquit Paulus, hoc est:
vehementer appetit Deus; vehementer cupit salutem no-
stram] Huius generis errata in hoc opere sunt planè innu-
merabilia. Nobis autem vnum, & item alterum notare
satis sit.

Ibidem 868. A.

Hoc est, alium dederat Angelis principatum, & alium
hominibus] Quasi duo Christi essent. Cæterum & Vero-
nense exemplar ex manuscriptis ita corrigendum. τουτέστι,
καὶ ἀγγέλοις μίαν ἀρχὴν ἔδωκεν, καὶ ἀνθρώποις. Hoc est, & Angelis
eundem principem dedit, & hominibus.]

HOMILIA 4. col. 881. A.

✠ Etenim ne audiens mundi dominos, increatum etiam illum esse dicas, & alibi seculum malum vocat tempus peruersum, non de creaturis loquens. Nam mihi videtur princeps sub cęlo factus à principatu non excidisse etiam post transgressionem]. Quasi Diabolus post transgressionem principatu non exciderit. Corrigendum autẽ & Veronense est hoc modo. ἵνα γὰρ μὴ κοσμοκράτορας ἀκούσας, καὶ ἄκτιστον αὐτὸν εἶναι φῇς, τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου προσέθηκε. καὶ ἀλλαχοῦ αἰῶνα πονηρὸν καλεῖ τὸν καιρὸν τὸν διεστραμμένον, οὐ περὶ τῶν κτισμάτων λέγων. ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ γενόμενος ἄρχων ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, μὴ μεταπεπτωκέναι τῆς ἀρχῆς καὶ μετὰ τὴν παράβασιν. idest. Etenim ne audiens [mundi rectores [increatum quoque illum esse dicas; addit, tenebrarum seculi huius. Et alibi tempus malum vocat præsentem statum corruptum, minime de creaturis ipsis dicens: alioqui, quantum mihi videtur, si ille sub cęlo princeps factus esset; planè nec post ipsam transgressionem à principatu excidisset.]

Col. 882. D.

Neque enim si quando res ita postulauerit, vt in vrbem regiam ferens obeunda sit via, deinde maiore illius parte confecta circa finem pigrescentes desideamus, ipsa vtique nos vocationis spes adiuuit. Ad opera enim bona inquit. Nihil itaque nobis res ipsa, nisi ad hunc modum ambulauerimus, profuerit.

Moralis exhortatio.

Ita sane, & hic, non vt vnum dumtaxat, sed vt omnia operemur, præcipit] Locus & in Veronensi, & in latinis ualde mutilatus corrigendus hoc modo ex manuscriptis, οὐδὲ γὰρ εἰ βαδίζειν ὁδὸν ἔδει εἰς πόλιν φέρουσαν βασιλικὴν, εἶτα τὸ πλέον αὐτῆς ἀνύσαντες περὶ τὸ τέλος αὐτὸ μαλακισθέντες ἐκαθήσαμεν ὤνησεν ἂν ἡμᾶς τὸ βαδίσαι, οὕτως οὐδὲ ἡ ἐλπὶς κλήσεως ὀνήσειεν ἄν τι

τοῖς κεκτημένοις τὸ πρᾶγμα, ἂν μὴ ἀξίως περιπατήσωμεν τοῦ καλέσαντος. κληθέντες οὖν ἐπ' ἔργοις ἀγαθοῖς, μένωμεν ἅπαντα ἐργαζόμενοι. διὰ τοῦτο γὰρ ἐκλήθημεν, οὐχ ἵν' ἓν ἔργον ἐργασώμεθα, ἀλλ' ἵνα πάντα. ideſt, Nam quemadmodũ ſi via ad ciuitatem regiã ferens obeũda fuiſſet, nos verò maiore iam illius parte cõfecta ſub ipſum finẽ mollicie diffluẽtes deſideremus; nihil quicquam nobis prodeſſet ambulaſſe; ita neque vocationis ſpes quicquam iis, qui iſtam cęperunt, profuerit; niſi dignè eo, qui vocauit, ambulauerimus.

ἠθικὸν

Moralis exhortatio.

Vocati igitur ad opera bona, pergamus cuncta exequi. Propterea enim vocati ſumus, non vt vnum opus obeamus, ſed vt omnia.

HOMILIA 6. col. 895. B.

Nam illi quidem, propterea quòd tantam peccatorum grauitatem habent, tolluntur, illi verò non hac cauſa] οὗτοι μὲν γὰρ καὶ αὐτὸ, ὅσον ἔχουσιν ἁμαρτημάτων βάρος διὰ τούτου ἀποτίθενται, ἐκεῖνοι δὲ οὔ. ideſt, Nam hi quidem, quicquid ponderis ex peccatis ipſos grauat, id hoc ipſo deponunt; illi autem minime] Loquitur de iuſtis, qui idcirco in hac vita puniuntur, vt peccatorum pondus, ſi quod habent, calamitatum perpesſione deponant.

HOMILIA 8. col. 906. D.

Vides, quomodo dignus ille, qui ſaluetur, factus eſt?] ὁρᾷς πῶς ἄξιος τοῦ σωθῆναι ἐκεῖνος. ideſt, Vides quomodo ille dignũ ſe ſalute præſtiterit?] Hoc enim vult oſtẽdere Chryſoſtomus, cuſtodem carceris (de quo in actis Apoſtolorum c. 16.) cum fidem ſuſcępit, partes ſuas egregiè præſtitiſſe, ideoque dignum iudicatum a Domino, cui ſalutem daret: Dignitatem verò non abſolutè intelligas, ſed qualem ſcilicet à nobis Dominus requirit, id eſt animum ipſi obſecundantem.

HOM.

HOMILIA 11. col. 929. D.

Nequaquam igitur bonum est vlcisci: Alium verò contumeliis afficere multò peius est, quàm iniuriam simpliciter inferre] οὐδαμοῦ μὲν οὖν τὸ ἀμύνασθαι καλόν· τὸ δὲ ἑτέρου ἀδικοῦντος ἕτερον ὑβρίζειν πολλῷ χαλεπώτερον. Nusquam quidẽ igitur vlcisci honestum est, at cum ab alio iniuriam accipias, in alium contumeliam inferre longè grauius.]

HOMILIA 18. col. 960. D.

✠ Posteaque verò manifestum fuerit, iam lux est, non ipsum peccatum. Quomodo? Qui peccatum fecit, quando in medium producitur, & accusatur, quando respicit, quãdo remissione potitur, numquid tenebras eius hoc modo expulisti?] ἐπειδὰν δὲ φανερωθῇ, γίνεται φῶς, οὐχὶ αὐτὴ ἡ ἁμαρτία (πῶς γάρ;) ἀλλ᾽ ὁ ἐργασάμενος. ὅταν γὰρ εἰς μέσον ἐνεχθῇ, ὅταν νουθετηθῇ, ὅταν μετανοήσῃ, ὅταν ἀφέσεως τύχῃ, οὐχὶ ἐξεκάθαρας αὐτοῦ τὸ σκότος; .i. Postquã verò manifestũ factũ fuerit, fit lux nõ ipsum quidẽ peccatum (quomodo enim?) sed ille, qui peccatum commiserat. Nam quando in medium productus fuerit, quando monitus, quando pęnitentiam egerit, quando remissionem assequutus fuerit; nonne illius tenebras depulisti?] Videtur autem Interpręs locum ad sacramentum pænitentiæ pertinentem sedulò obscurasse. Addidimus autem illud γὰρ ex manuscriptis.

Ex Epistola ad Philippenses,

HOMILIA 1 col. 1016. D.

✠ Religiosus non vult videri religiosus, atque ideo nullum sibipsi religionis habitum, ac prætextum imponit, sed studet esse aspernabilis] Visum est notare locum; ne quis imprudens in eo, quod fortasse voluit Interpręs, labatur. Loquitur Chrysostomus de eleemosyna in pauperes simpliciter facienda; monetq ue nos, ne superstitiosius, ac fastidiosius singulorum, quibus benefacimus, dignitatem, & me-

& merita disquiramus: Vsu enim venire, vt qui nimis accuratè inquirit, sæpius impostoribus, quàm sanctis hominibus benefaciat; qui verò curiosum istum delectum non adhibet, facilè in sanctos incidat. Causam huius rei illam esse docet; quòd sancti non id studeat, vt Sancti videantur, neque Sanctitatis speciem accuratè sibi conciliant; etiam si ex hac simplicitate sua videant fore, vt contemnantur: at impostores, quippe qui in hoc artificium vehementer incumbunt, tam bellè sanctitatem simulant, vt vix possis deprehendere. Corrigendum autem est Veronense ex manuscriptis; atque vbi legitur, καὶ μέλλει διαπλύεσθαι, legendum, κἂν μέλλῃ διαπλύεσθαι. Sed quot, quantaque errata in ista versione sint, nostra fortasse accurato lectori satis indicabit.

Ex Epistola ad Colossenses,

HOMILIA 3. col. 1126. A.

Quid hic dicunt, qui Paulo Samosatæo adherent? Quæ in cęlis, quod controuertebatur, primum posuit, & quæ in terra. Deinde visibilia, inquit, & inuisibilia; vt pote anima in cęlo facta est. Visibilia, vt homines, Elias, Paulus.] Multa in hoc loco, vt & in tota Epistola, sunt, & magni quidem ponderis menda. Nec Chrysostomi sententia est, Animam esse factam in cęlo. In manuscriptis ita legitur. τὶ λέγουσιν ἐνταῦθα οἱ Παύλου τοῦ σαμοσατέως; ὅτι τὰ πάντα ἐν οὐρανῷ γέγονεν. ἰδοὺ γὰρ εἴρηται, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα: ἀλλὰ τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς εἶπεν. ὅπερ ἀμφισβητούμενον ἦν, πρῶτον τέθεικεν. εἶτα φησί, τὰ ὁρατά, καὶ τὰ ἀόρατα, ἀόρατα τὴν ψυχὴν λέγων, ὁρατὰ πάντας ἀνθρώπους. idest, Quid hoc loco dicunt sectatores Pauli Samosatei? Omnia esse facta in coelo. Ecce enim dictum est, quòd in ipso condita sunt omnia. At ea, quę in cœlis, & quę in terra dixit. Id, de quo ambigi poterat, priore loco posuit. Deinde inquit, visibilia, & inuisibilia; inuisibilia animam dicens, visibilia omnes homines] Omnia igitur esse facta in

cœlo

cœlo, Pauli Samosatei erat opinio; cui se opponit Chrysostomus illis verbis [At ea, quę in cœlis, & quę in terra dixit] Quasi Diuus Paulus per ea verba indicare uoluerit, multa esse quidem facta in terra, sed dici condita in filio, quoniam per ipsum condita sunt. Suspicor tamen adhuc nonnulla deesse.

HOMILIA 6. col. 1142 C.

✠ Nam fides verè est ędificium, & opus habet fundamento valido, & ędificatione diligenti, & munita. Nisi enim quis securè, ac munitè ędificauerit, concutietur. Si verò securè, ac munitè satis struxerit, & non perstiterit, non persistet amplius: quemadmodum edocti estis. Rursus illud quemadmodum, Exuberantes, inquit, in ea cum gratiarum actione] Nullo pacto id sibi voluit Chrysostomus, vt qui semel non perstitit, persistere amplius non possit. Sexcentis enim locis copiosissimè demonstrat neque extremo vitæ spiritu actam pœnitentiam esse inutilem. Et hoc loco ex Chrysostomi sententia Paulus significat Colossenses esse lapsos, nec tamen de illorum reparatione desperat. Verba autem illa, [Rursus illud quemadmodum exuberantes] manifesto sunt mutilata; explendus autem locus ex manuscriptis hoc modo. οἰκοδομὴ γάρ ἐστιν ὄντως ἡ πίστις, καὶ δεῖ καὶ τοῦ θεμελίου ἰσχυροῦ, καὶ τῆς οἰκοδομῆς ἀσφαλοῦς. ἄν τε γὰρ μὴ ἐπ' ἀσφαλείᾳ τις οἰκοδομήσῃ, σαλεύεται, ἄν τε ἐπ' ἀσφαλείᾳ, καὶ μὴ ἑστήκῃ, οὐκ ἔτι ἵσταται· καθὼς ἐδιδάχθητε: πάλιν τὸ καθὼς δηλωτικόν ἐστι τοῦ μηδὲν καινόν τι λέγειν: περισσεύοντές φησιν ἐν αὐτῇ, ἐν εὐχαριστίᾳ. idest, Verè enim fides est ædificium: egetque cum fundamēto valido, tùm stabili ędificatione. Nam siue quis non in stabili fundamento ædificauerit, nutat ac labitur; siue ędificauerit quidem in stabili fundamento, sed non firmiter in eo permanserit; iam non stat [Quemadmodum docti estis] Rursus illa dictio, [quemadmodum] indicat nihil quicquam noui afferri. [Exuberantes, inquit, in ea cum gratiarum actione] Vocem illam ἐπ' ἀσφαλείᾳ quoniam obscura videbatur, paraphrasi explicauimus.

HOM

HOMILIA 19. col. 1162.

Armari, vincere, ſeruarique ſolent, inermes nequaquam] Ἀγαπητὸν μετὰ τούτων σωθῆναι, μήτοιγε χωρὶς τούτων. ideſt. Pręclarè nobiſcum agitur, ſi armati ſaluemur; tantum abeſt, vt ſine armis ſaluari queamus] longè enim difficiliorem conſequendę ſalutis rationem Chryſoſtomus exiſtimauit, quàm iſti blandi homines prędicent.

Ex Epiſtola ad Theſſolonicenſes,

HOMILIA 3. col. 1202. D.

Vide, quomodo ambiat honorem, & ſeſe iactet, volens oſtendere, quòd eos plus omnibus diligat] Non placent iſtę loquutiones de Paulo. φιλοτιμεῖται, καὶ ἐγκαλλωπίζεται, hoc loco vertendum erat; effuſus quodammodo eſt, & pompam quamdam adhibet; aut ſi quid melius doctioribus in mentem venit.

Ex Prima ad Timotheum,

HOMILIA 6. col. 1308. D.

Iſta quippe à Chriſti diſcipulis manſuetis, ac mitibus longè remota ſunt, neque illa digna ore, quod ſacris inſtructionibus deditum ſit] Haud ſcio, an Interpręs conſulto pulcherrimam ſententiam obſcurarit. ſuadet enim copioſa oratione Chryſoſtomus, vt à maledictis, atque imprecationibus abſtineamus, quoniam hęc magnopere dedecent Chriſti diſcipulum, atque os illud, quod tali myſteriorum vſu dignatum eſt, ideſt participatione corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti πόῤῥω ταῦτα τῶν τοῦ χριστοῦ μαθητῶν, τῶν ἐπιεικῶν καὶ πρᾳόνων, τοῦ στόματος τοῦ ἠξιωμένου τοιαύτης μυσταγωγίας. ideſt, Procul iſta à Chriſti diſcipulis, quorum propria eſt lenitas, & manſuetudo; procul ab ore illo, quod tali myſteriorum vſu dignatum eſt.

HOMILIA 7. col. 1312. D.

✠ Non igitur huiusmodi vitam intelligi voluit, sed eam, quæ in omni pietate, & castitate ageretur. Omne, inquit, Dogma non solum pietate, verùm etiam vitę integritate perficitur; namque pietas & in ea parte quęrenda est] οὐδὲ τοῦτον φησὶ τὸν βίον, ἀλλὰ τὸν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ, μὴ τῇ τῶν δογμάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου· καὶ γὰρ ἐκεῖ τὴν εὐσέβειαν δεῖ ζητεῖν. idest, Neque talem requirit vitam, sed eam, quę in omni pietate agatur, non ea solum pietate, quę in dogmatibus versatur, sed etiam ea, quæ in vita. Nam & ibi pietas quęrenda est.

Ex secunda Ad Thimotheum,

HOM. 10. col. 1425. A.

✠ Duplex auxilium gratię commendatur, cui spiritus opitulatur, ac Deus] Quasi aliud sit opus Spiritus, aliud Dei διπλῆ ἡ βοήθεια τῆς χάριτος τοῦ πνεύματος, καὶ τοῦ θεοῦ βοηθοῦντος αὐτῇ. Idest, Duplex auxiliũ est, alterum gratiæ spiritualis, alterum Dei ipsam adiuuãtis] Indicat autem duplicem illam gratiam á Theologis nostris accuratè distinctam, vnã habitualem, alteram, quę est veluti mouens, & vt scholastica vtar voce, manutenens.

Ex Epistola ad Titum,

HOMILIA 5. col. 1454. D.

✠ Vides, quăm necessario error inualuit?] ὁρᾷς, ὅτι εἰκότως ἀπάτη ἴσχυσεν idest, Vides nihil mirandum fuisse, si error inualesceret?] Hoc enim vult indicare sanctus Doctor, cum illi Dæmonibus fidem habere cæpissent, rationi quodammodo consentaneum fuisse, vt ex vno errore multi alii contexerentur.

Ex Epistola ad Hebręos,

HOMILIA 2. col. 1488. A.

Sed etiam imaginis, inquiunt, imago appellatus est homo

m̃o] Erat mendum etiam in Veronensi; quod ex manuscripto substulimus, ἀλλὰ καὶ θεοῦ εἴρηται εἰκὼν ὁ ἄνθρωπος φησιν. idest, Sed etiam homo dictus est imago Dei, inquiũt hęretici.] Multa autem huiusmodi, & magnopere sententię Autoris officientia sunt in hac Epistola.

HOMILIA 13. Col. 149b. D.

Sed & hic Iudæos, & Paulum Samosatenum, & Arianos, & Marcellum, & Sabellium, & Marcionem percussit. Quomodo? Iudæos quidem ostendens eis duas esse personas & Deum, & hominem. Pauli verò Samosateni discipulos, dum ista de æterna loquitur, & increata substantia. Nam ei, quod suprà dixit, per quem & secula fecit, illud thronus tuus Deus in seculum seculi, opposuit. Arianos autem percutit ostendens, quoniam neque seruus est Christus, neque creatura. Marcellum verò & cęteros, quoniam duæ sunt istæ personæ, secundum subsistentiam ab inuicem separatæ. Marcionistas autem percussit, dum ostendit, quia non Deus, sed humanitas vngitur] hic locus videtur indicare duas personas in Christo; idcircòque diligenter considerandus est: ac certe varietas exemplarium in quibusdam partibus, suspicionem mihi affert, etiam in cæteris esse deprauatum. Quòd si eo modo, quo nunc leguntur, à Chrysostomo scripta sunt; impropriè ab illo voces istas, πρόσωπον, & ὑπόστασιν esse vsurpatas non est dubitandum, idemque valere, atque οὐσίαν, καὶ φύσιν. Nondum enim exorta Nestorii hęresi non ita accuratè voces istę distinguebantur, quod de hypostaseως nomine Hieronymus notauit. Ac ferè omnia, quæcumque à Ioanne Antiocheno & suis Sectatoribus obiicebantur Cyrillo Alexandrino; hoc firmamento videbantur niti; quasi ille duas in Christo personas negans, duas quoque naturas negaret; sedulo scilicet schismaticis hominibus proprias vocabulorum notiones minimè à se percipi simulantibus. Potuit igitur, vt dicebam, Chrysostomus personæ & hypostasis nomine essentiam, & naturam significare: sicut etiam Au-

gustinus dicit à Deo esse assumptum hominem; homo autem singularis iam persona est. Sunt igitur Sanctorum Patrum sententiæ in bonam partem, pieque interpretandæ.

Homilia quidem in Psalmum 44. cautissimè loquutus est Chrysostomus, ostenditque carnem non esse diuidendam à diuinitate, neque diuinitatem à carne, non ob substantiarum confusionem (atque ibi vtitur voce οὐσίας) sed propter summam vnionem. Homilia autem xi. in Marcum disertis verbis docemur, Vnam tantum in Christo esse personam. Verùm, an ea græcè habeatur, nescio. Illud quoque notandum est, Verba illa [Nam ei, quod suprà dixit, per quem & secula fecit, illud Thronus tuus Deus in seculum seculi, opposuit] absurdam propè continere sententiam. Non enim ista opponuntur, sed ambo de Deo verbo commodissimè dicuntur. Hoc autem sibi voluit Chrysostomus, loco illius verbi facere, quo vtitur Paulus, cum de creaturis loquitur (innuit enim verba illa paulo superius posita, & explanata [Qui facit Angelos suos spiritus]) opposuisse nunc ista Paulū, Thronus tuus Deus in seculum seculi; in quibus nulla effectionis mentio, sed perspicuè diuinitatis Maiestas indicatur. Ergo verba ista. πρὸς γὰρ ἀντιδιαστολὴν τοῦ ἐποίησε, τὸ, ὁ θρόνος σου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, ἀντέθεικε ita erāt vertenda. Nam vt à creaturis distingueret, in quibus verbum illud, facere, adhibitum est; ista verba opposuit, Thronus tuus Deus in seculū seculi.

HOMILIA 4. col. 1507. A.

✠ Non enim Monachis scripsit hæc, neque in virginitate manētibus, sed secularibus [οὐχὶ μονάζουσιν ἔγραφε ταῦτα, οὐδὲ ἀειπαρθένοις, ἀλλὰ καὶ κοσμικαῖς, idest, non monasticam vitam degentibus, neque perpetuam virginitatem seruantibus scripsit hæc, sed etiam secularibus] est enim exprimenda perpetuitas virginitatis.

HOMILIA 17. col. 2576.

Vt iam de cętero non opus habeant ſacrificio, vt saluentur, ſed ipſis hoc faciant operibus] Quaſi quis ſuis operibus ſine illius ſalutaris, atque vnici Sacrificii ope ſalutem adipiſcit queat. Chryſoſtomus ὡς μηκέτι λοιπὸν δεηθῆναι θυσίας, ὥστε σῶσαι αὐτούς, ἀλλ' ἀπὸ ἔργων τοῦτο ποιεῖν. In quibuſdam Codicibus legitur, τοῦτο νῦν ποιεῖν. Sed codex vetuſtiſſimus conſentit cum Veronenſi. Puto autem hanc eſſe Sancti Patris ex D. Paulo expreſſam ſentētiam, Chriſtum Dominū noſtrum, qui in primo aduentu cum peccatis apparuit (quatenus ſcilicet illa ab hominibus in ſe tranſtulit, ac Patri in ſingulari illo Sacrificio obtulit) in ſecundo aduentu ſine peccatis venturum, ideſt non amplius pro peccatis ſacrificaturum, ac ſalutem daturum, ſed per opera id præſtiturum eſſe, ideſt non amplius ſpem ſalutis, ſed ipſam met ſalutem, ac felicitatem opere ipſo, & effectu tributurum: aut per opera, ideſt ex cuiuſque hominis meritis, ac dignitate. Nos igitur ita vertemus [Vt minimè iam de cętero neceſſe habeat ſacrificium offerre ad ipſos ſaluandos, ſed ex operibus id facturus ſit]

HOMILIA 23. col. 1602. A.

Fides autem certū eſt, quia iuſtitiam operatur] ἡ δὲ πίστις εὔδηλον, ὅτι δικαιοσύνην ἐργάζεται. ideſt, Fidem autem operari iuſtitiam manifeſtum eſt] Verè enim, quantum ad ipſam rerum connexionem pertinet, apta fides eſt, quę iuſtitiam pariat: non tamen id certum eſt; cum hominis quantumuis credentis improbitas minimè rarò ſit impedimento, quominus Iuſtitia ſequatur: ſimilis ſententia eſt apud B. Gregorium epiſt. 47. libri ſeptimi.

Obſeruationes in primum Tomum.

De Epiſtolis, & præfationibus Eraſmi; omninoque de vniuerſis ipſius operibus puto iam ab ampliſſimis Patribus

eſſe

esse constitutum, quid agendum sit. Vtinam ille multa, & magna talenta, quæ à domino acceperat, alienis quibusdã notis non contaminasset: profectò melius & sibi ipse consuluisset; & de Ecclesia sancta Dei meritus esset.

HOMILIA in Psalmum tertium.

Nonnumquam etiam Amici in inimicos conuertuntur propter peccata, & qui olim amabant, oderunt, & auersantur, Deo tale odium immittente propter eas, quas nouit rationes] habetur hęc homilia gręcè in bibliothec a clericorum regularium Romæ; atque eadem planè verbis græcis subest sententia, ac latinis: idest Deum immittere odium: quę tamen sententia si in bonam partem accipiatur, nihil continet absurdi. Nam & in hac ipsa homilia eam lenit Chrysostomus, & homilia 36. in Matthæum, atque alibi sępe docet hunc esse scripturæ morem, vt quę Deus permittit, dicatur facere.

HOMILIA in Psal. xiiii. quæ incipit,

Est pulcher Psalmus.

Vna sola virtus iustificat, fides, quæ est virtutum fastigium] Hanc Homiliam neque apud Græcos puto haberi, neque in ea Chrysostomum agnosco.

HOMILIA in Psal. xxii. & 116.

Quæ incipit, Circulo consecrato.

Et quia istam mensam pręparauit seruis, & ancillis in conspectu eorum, vt quotidie in similitudinem corporis, & sanguinis Christi, panem, & vinum secundum ordinem Melchisedech nobis ostenderet in Sacramento] Item paulò infra[Dimittere captiuis remissionem, & cęteris reddere lumen. Istud oleum agnoscimus oleum Chrismatis]

Per-

Perſpicuê hæc homilia non eſt Chryſoſtomi.

HOMILIA ſequenti.

Diſcedite quia totum eſſe noſtrum ad non eſſe tendit] Idem de hac iudicandum.

Obſeruationes in Tomum ſecundum.

HOMILIA 34.

In caput Matthęi 10.

Col. 277. C.

Ille autem tali conſolatione omnino carebat; ſed nec miraculis ſignorum iuuabatur, nec gratiæ cauſa confirmabatur [loquitur de Iob; quem tamen minimè negaret aliquo gratię ſubſidio in ſuis certaminibus adiutum eſſe; ſed ſatis Chryſoſtomo eſt, deſtitutum illum fuiſſe gratià illà, qua Apoſtoli abundabant. ἐκεῖνος δὲ ταύτης τῆς παραμυθίας ἔρημος ἦν, καὶ τῆς ἀπὸ σημείων, καὶ τῆς ἀπὸ τῆς χάριτος. ideſt, Ille autem expers huius conſolationis erat, cùm eius quæ à ſignis, tùm eius, quę à gratia] à quali autem gratia, declarat in verbis ſequentibus.

Ex Opere imperfecto in Matthęum, quod certè Chryſoſtomi non eſt.

Iudæi enim ſemper cognoſcebant; quia eſt filius Dei, & quomodo filius Dei] col. 632. [Regni dignitas maior eſt, quam naturę] & ibi de iactantia Dauidis parum pudenter Ibidem [ſic & Sancti, cum de mundo iſto defecerint, caſurus eſt iſte mundus] col. 634. [Lex impedit fidem, non adiuuat] Ibidem [Niſi enim Deus prius habuerit aut Iudęum, aut gentilem, impoſſibile eſt, vt adducat eum ad fidem ſuam] Col. 640. Neque enim firmauit eum Deus in bono,

ſed Diabolus in malo, qui fuit dominus eius] Col. 645. [Locus, quòd Nuptiæ ſint peccatum] Col. 652. [Spiritum ſanctum ipſum dicit Vnigenitum Deum, & quòd diuinitas ingrediatur pro ſemine. Vide B. Auguſtini ſermone 191. de tempore. Col. 655.] Ergo Chriſtus priuſquam ſecundum corpus inciperet cognoſcere patrem, aut matrem, virtutem Diaboli ſubiugauit, [Col. 658.] Herodes enim timebat, quod ſuſpicabatur: Diabolus autem timebat, quod verè ſciebat. Herodes hominem ęſtimabat, Diabolus Deum cog noſcebat [col. 660] Sed quid? quia multi cum Chriſto relicto peccauerunt, non agunt pœnitentiam illi tales numquàm fuerunt Chriſti [col. 664.] Primum quidem, quoniam oportebat homines eſſe in mundo, quamuis eſſent iniqui, quoniam & ipſe mundus iniquus eſt] 674. [Totus locus de baptiſmatum differentia, & de Baptiſmo hæreticorum vehementer mihi ſuſpectus eſt] Col. 675, & 676. [ſic non poterat fieri, vt Deus de Iudæis, aut gentibus iam electos ſine tentatione diſcerneret, & vocaret. Col. 678. [Nam quamuis ipſe non erat peccator, tamen naturam ſuſcęperat peccatricem. Col. 680. ſed hoc excuſari aliquo modo poteſt] Sic, & Chriſtus, ex quo Baptiſmatis ſignum accæpit, feſtinabat accipere Spiritum ſanctum. Col. 681. [iuſti, & peccatores pariter erant aſcenſuri in cęlū. 682. licet & hoc excuſari queat [Quia poſt Chriſtum iam lege, & prophetis non vtimur. 683.] quale autem peccatum in morte remittitur, ſcit, qui intelligit, pro quali peccato introducta eſt mors.] 684. Serui autem Diaboli in igne non baptizantur, quare? quia non poteſt fieri, vt depoſitis ſordibus emundetur, qui totus eſt ſordidus, col. 685. intelligi poteſt ſeruum diaboli, dum ſeruus manet, non poſſe ſordes deponere. [Sed aut ipſius Chriſti diuinitas, aut Spiritus ſanctus, qui erat in eo, excuſſit inde diabolum. col. 692.] parum cautè dictum [Totus locus de Angelo bono, & malo mihi ſuſpectus eſt. col. 694, & 695.] Propter duriciam cordis veſtri Moſes iſta mandauit, & non ad ſaluandos eos, ſed ad excæcandos, vt inebriati per legem non cognoſcerent lumen, quod non mereban-

tu

tur, videre in tenebris, ideſt in peccatis. col. 696. [Quia ipſi & ſi viui ſumus propter opera viua, & fidem Chriſti, tamen quia in mundo viuimus, cui Diabolus principatur, coinquinati ſumus. Ibidem[. Rurſus quę de Baptiſmo hęreticorum, & quòd Chriſtus non potuiſſet baptizare, niſi baptizatus fuiſſet, col. 697. abſurda; niſi ad bonum ſenſum detorqueantur [Beneficia ſanitatum digno precio fidei venundabat, dicens vnicuique, Fiat tibi ſecundum fidem tuam. Non tamen omnes, ſed illos, quos ſecundum præſcientiam ſuam ante præparauerat, quàm venirent col. 703. ſed hoc aliquo modo ad B. Auguſtini de prædeſtinatione ſententiam referri poteſt [Qui Dei fuerunt, perire non potuerunt, qui autem perierunt, nō fuerunt Dei col. 706. eſt ibi de diabolo cogente [Si ergo hæc vaſa ſanctificata ad priuatos vſus transferre ſic periculoſum eſt, in quibus non eſt verum corpus Chriſti, ſed myſterium corporis eius continetur, col. 716. Notatur in margine in quibuſdam exemplaribus verba iſta abeſſe. [Caro in malo creata eſt ſub lege peccati, nec poteſt aut videre, aut audire, aut agere rectū col. 721: quanuis hoc ad rectum ſenſum traduci queat [Generaliter omne bonum, quod vel nos, vel alios ſcandalizat, pręcidere debemus à nobis. col. 722. [Libellus repudii non ſolum homicidii crimen non ſuſtulit, ſed etiam alterū dimiſſionis introduxit peccatum. col. 723. De clericis præbentibus librum Euangelii ad iurandum. col. 724 [Lex dum voluit malos facere bonos, etiam bonos facit malos. 725. [Quòd numquam adeundus Iudex ſecularis. col. 726. [In poteſtate vniuſcuiuſque eſt menſura faciendę iuſtitię. col. 730. [Omnem enim iuſtitiam, quam facit homo, ſecundum potentiam ſuam facit, & de potentia ſua profert. Solam autem orationem ſecundum fidem ſuam facit, & ex fide profert. col. 735.] De malis, quæ ex clamoſa oratione naſcuntur. col. 737. [Diabolus planè Tyrannus eſt, quia & nolentes compellit facere voluntatem ſuam. 739. [Tenebræ ſunt carnis natura] & rurſus [Semper peccatrix eſt, & ſemper habet peccandi propoſitum. col. 749. in extrema tamen homilia 16. contra mani-

 cheos

cheos negat creaturam Dei esse malam[Sanctum est Baptismum, propterea non est dandum, nisi iam fidem habentibus. col. 757. [Qui autem non ambulant per viam iustitiæ impossibile est, vt verè cognoscant Christum. col. 764. quanquàm videtur significare sapidam cognitionem [Si ergo vides hominem Christianum, statim cōsidera, si confessio eius cōueniat cum scripturis verus est Christianus; si autem non est, quemadmodum Christus mandauit, falsus est. col. 768. Hæretici Christianos, non christiani hæreticos persequuntur] ibidem. Vide Gratianum 23. q. 4. c. si ecc. ex D. Aug.[Tamen forsitan sciens Dominus hanc hęresim esse præualituram prę omnibus, tribulos eos appellauit, quasi trinitatis professores, & triangulam impietatem in sua perfidia baiulantes. col. 770. & ibidem [Sicut ergo bonorum hominum omnia opera etiam mala bona sunt; sic malorum hominum omnia opera etiam bona mala sunt] [Qui non sic conuersantur, quomodo ille mandauit; non credit Christo, col. 771. Nec est contrarium, quòd quidam de ecclesia cadunt: illi enim nunquàm christiani fuerunt]775. [Scripturę ad pręiudicium peccatorum factæ sunt, non ad necessitatem sanctorum. col. 781.] Sed fortè dicet Hæreticus volens ostendere Patrem, & filium esse vnum, vel ęqualem. col. 783. [Omnes homines secundum carnis naturam mali sumus, 787] Non solū ad vestimētum animę caro creata est, sed magis ad tentationem eius, quasi domestica, & naturalis inimica copulata est. 794. [Pilatus volebat dimittere Christum, sed non poterat, quia Deus eum tradebat. 796 [Qui aut timorę frangitur, aut promissione corrumpitur, numquam fuit verè bonus. 800. [Quod Christus non sit natus mulieris 808. quamuis locus videatur deprauatus] lex immitis est, & superba[813. sed videntur dicta ex collatione cum Euangelio.] Nam quòd hominem me videtis, vestimentum meū est, non natura 825. [Secundā Vxorem accipere verè fornicatio est. 836. [Omnis res corporalis, quoniā mundi est pars, in maligno est posita. 840.] & ibi multa similia.] Si ergo alter paterfamilias, alter procurator patrisfamilias; quō locū habet ternitas tua: 856.

856.]& ibi multę similes blasphęmię;& iterũ col. 866, quæ à nõnullis exẽplarib. dicuntur abesse[Omnis.n. homo naturaliter non solũ peccator est, sed etiam totum peccatũ. col. 875. [Nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, proiiciatur de Ecclesia Dei. 877. Vide Gratianum dist. 88. [Nam quamuis peccauerat, tamen adhuc Dauid erat sanctissimus. 887. [Rursus indicat inęqualitatem filii. 894. & 895. quamuis locus videatur deprauatus. [Ergo illi non secundum sua opera pereunt, neque secundum suas personas, sed tantum pereunt, quantum potest perdere Christus. col. 898. [Inhonestum est enim apud Deũ opus negociationis, siue dignitatis, siue militiæ col. 903. [Omnis quidem malitia confunditur, aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem numquàm, maximè eorum, qui proposito malo, & non ignorantiâ peccant. 906. [In resurrexione mutanda est ipsa carnis natura, vt nihil carnis habeat in se, nisi fortè tantummodo formam. 910. [Filius magnus Deus quidem, non tamen primus] 915. fortasse voluit significare non ingenitum[. Sicut hęretici putant, ęqualitatis mendacium componere festinantes. 916. [Non omnis Sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos. 917. & ibi multa huiusmodi, quę tamen in bonam partem accipi possent. Rursus contra æqualitatem filii. col. 924. [Rursus contra vnitatem substantię in Trinitate 928.]& rursus 931. Hæresis Homoousianorum 947.] Nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi nisi tantũmodo per scripturas, 953.] Cum legant ipsum Christum non erubescentem suam ignorantiam confiteri ad respondendum 967. [Non potest credere Deo, nisi qui facit aliquid dignum Deo [&] peccatores non credunt Deo] 977. [Nihil ei proderit festinatio eius, quia multorum dierum negligentia non potest vna hora expleri] 979. & ibi in die iudicii magnum fore timorem etiam sanctorum. [Natura ipsa peccatum est. ibidem] si ergo maior erit gloria, quæ præparata est sanctis à Deo, quàm quod vnusquisque sanctorum meretur, quomodo sufficiat, & aliis ad salutem vnius cuiusque opus eorum,

cum nec sibi soli sufficiat ad gloriam illam iusto iudicio consequendam? 979. [Illis videtur iniungere Deus ministerium diaconatus, aut presbyteratus, qui sunt iusti] 981. & multa in hanc sententiam; quamuis eam ipsemet auctor lenire videatur. Vide Ioannem Ostuniensem in octauum librum constitutionum D. Clementis cap. 1. Horum autem multa etiam à F. Sixto in bibliotheca sunt notata; sicut & alia nonnulla, quæ à posterioribus editionibus absunt. [Qui cognoscit Christum, & peccat, videtur quidem habere scientiam Christi, verè autem non habet 986. [christus dominus noster puer natus, Ioseph, vel Mariæ filius deputatus est; 998. Hęc quoque Homilia nihil Chrysostomi habet. [Pater magnus Deus, & primus, filius autem magnns Deus quidem, non tamen primus 1069; & est homilia ad verbum sumpta ex opere imperfecto. [Non enim erat tempus vt crederent] 1100; atque hęc Homilia longe abest à Chrysostomo [sed perfectam hominis expectabat ætatem, vt nobis tribueret exemplum] 1106. Ita loquitur, quasi Baptisma dandum non sit, nisi hominibus, qui triginta annos agant. Et hęc Chrysostomi non est. [Ipsius anima principale sensus est] 1116. Neque hęc Chrysostomi. [Verum quicunque in inferno est, & in regno cœlorum est, nescio, an valeat misereri. Creator creaturæ miseretur suæ 1125. neque hæc Chrysostomi.] 1145. In margine habentur hæc verba. [similia profitentur Tabellę miraculorum in Italia] quę delenda.

Obseruationes in tertium Tomum.

Ex Commentariis in acta Apostolorum.

HOMILIA 4. col. 402.

✠ Didicerant, quòd ea, quę piè fecerant, frustra gesserint. [ἔμαθον ὅτι οὐκ εἰκῆ ταῦτα κατώρθωσαν [id est, Didicerant non

non frustra se bonas hasce actiones obiuisse.

HOMILIA 14. Col. 462. D.

Vnde neque Diaconorum, neque Presbyterorum nomen esse opinor, quod clarum, ac manifestum.] Delenda illa dictio [Quod;] auctoritate Vaticani codicis, putoque id significari; quod in primo sermone in Epistolam ad Philippenses scribitur, Apostolorum tempore nomina hęc sępe confundi solita esse. Omnino autem hi commentarii in Acta parum explere animum lectori possunt. Scatent enim mendis; suntque ex variis, vt puto, librariorum scriptis, Chrysostomi orantis sententias, quoquomodo poterant, excipientium malè coagmentati.

In sermone 4. de Feria Passionis col. 734.

Sed non potuit vitare peccatum. sic enim de eo ait spiritus sanctus. Et oratio eius fiat in peccatum; vt in eo, quòd pœnitentię festinauit ad portum, ibi incideret ęternum, & sine reparatione naufragium] Nihil habent hi sermones Chrysostomo simile.

HOMILIA de spiritu sancto col. 799.

Vt igitur, sicut dicebam, ne quis audiens spiritum Dei, putet proprium quiddam significari, & non commune naturæ, Paulus dicit, Nobis autem non datus est spiritus mundi, sed spiritus, qui ex Deo est.] Est absurda sententia; si loquens de Spiritu sancto dicat nomine isto non propriam personam significari, sed naturam communem. Gręcè est. ἵνα μή τις, ὅπερ εἶπον, ἀκούσας τὸ πνεῦμα θεοῦ νομίσῃ οἰκειότητά τινα σημαίνεσθαι, καὶ μὴ φύσεως κοινωνίαν. ita paulo superius. δι' οἰκειότητα, ita paulo inferius κατὰ οἰκείωσιν. nusquam vero vtitur nomine ἰδιότητος. Hoc igitur sibi vult Chrysostomus Spiritum sanctum vocari spiritum Dei, non tanquam familiarem Dei, quod etiam de spiritu sanctorum

ctorum hominum dicitur, ſed tanquam in natura commu nicantem cum Deo patre; ideoque non tantum dici ſpiritum Dei, ſed etiam ex Deo. Itaque locus iſte hoc modo vertatur. [Ergo, quemadmodum dicebam, ne quis audiens ſpiritum Dei, putet ſignificari familiaritatem quandam, & non naturę communitatem, Paulus dicit &c.] & in cæteris etiam duobus locis, vbi interpres inquit, propriũ, corrigatur familiare.

De Euchariſtia ſermo. col. 827.

✠ Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit, ſic & hìc puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia] Perſpicuum mendum; ac legendum myſterio conſumi corporis ſubſtantiam[nimirum panis & vini; quæ quidem corpora tranſubſtantiantur in corpus & ſanguinem domini: Nam vt idem Chryſoſtomus inquit homilia 83. in Matthęum, qui hęc ſanctificat, & transmutat, dominus eſt. Nondum verò hunc ſermonem gręcè legi.

De premiis ſanctorum ſermo. col. 829.

[Ioannes autem pręter cæteros ab eo colebatur.] Recitat Chryſoſtomus verba ſcripturę. Scriptura autem minimè dicit Ioannem eſſe præter cæteros cultum à Domino, ſed ὃν ἠγάπα ὁ ἰησοῦς.

Ex Oratione de beato Philogonio col. 839.

Hęc omnes audiant, & Monachi, qui montium occuparunt cacumina[Ad hęc verba in margine iſta ſunt addita.[Nunc in aulis regnant quidem.] quę nauſeæ videntur plena, idcircoquè delenda. Nam, cum regnant, iuſtis de cauſis regnant.

Obſerua-

Obseruationes in Tomum 5.

De amore Dei, & tolerantia in aduersis serm. col. 601.

Enimuero, & qui perdito detinētur amore, maiore sūt venia digni, quám, qui grauiori febre vexantur, vinoque graues, quàm qui torquentur amore.] Falsa est hęc sententia, vt versionis ineptias omittam, maiori venia esse dignos intemperantes homines, quàm eos, qui febri vexantur, cum illi sua culpa tales sint, hi sępe minime: Quamobrem in homilia contra desperationem, & superbiam, quę est digressio moralis 20. ad Romanos, statuebat Chrysostomus, qui natura minùs valeret mente, eum venia dignum esse; at non eum, qui sponte amentiam sibi comparasset. Cęterùm hęc homilia, de qua nunc agimus, est nona moralis digressio in eandem Epistolam ad Romanos; atque inde quiuis locum per se corrigere poterit: satis enim cōmode Brixius ita vertit. [Nā & qui impudico amore capti sunt grauiter febricitantib. & qui vino se obruunt, quæstionem tolerantib. miseriores sunt.]

In Symbolum Apostolorum.
HOMILIA Prima col. 62.

Credite vitam æternam promissam pro ista gratia data, vt gratuitā gratia accæpta perseueret à vobis] Inępta verborum circuitio, & fortè absurdam sententiam continens. Si dubitas, num hę Homilię Chrysostomi sint, audi verba initio huius primæ posita. [Dixistis, Credo; quàm breue est, quam modicum est; si ad latitudinem literarum dirigatis, quinque literę sunt, si ad syllabarum numerum, duę sunt syllabæ]

HOMILIA 2. 611.

[Et quia fides totum sibi vendicat, de Deo vos habere conue-

conuenit hanc fidem Dei electi.

EX HOMILIA ad Neophytos. col. 617.

✠ Per lauacri regenerationem est namque remissio, sed non conceditur per lauacrum] Neq; homilia hęc quicquã ad Chrysostomum. puto autem esse mendum in istis verbis, ac legendum. [Sed non conceditur secunda regeneratio per lauacrum.]

EX HOMILIA ad baptizandos col. 619.

Nam licet similem etiam illi consecrationem merean tur; sed non illis similis voluntas, nec rerum similis pręparatio] Homilia est Latini hominis, qui vt ętas sua ferebat, [merentur] dixit pro [obtineant]

EX HOMILIA 9. de Pœnitentia col. 759.

✠ Peccasti, Ecclesiam egredere, atque tuum dele peccatum] Legendum est, Ecclesiam ingredere; quod perspicuè patet ex antecedentibus, & consequentibus verbis: atque ita legebatur in editione Basiliensi 1525. Atque hęc paulo maioris ponderis loca sunt, pręcipuè quę crucis asterisco signauimus, quę in pręsenti notare satis esse iudicauimus. Cętera commodiore tempore corrigentur.



AMPLIS-

AMPLISSIMO CARDINALI PHILIPPO BONCOMPAGNIO

Flaminius Nobilius S. D.



I Veterum clarorum Virorum minuta etiam sigilla, ac numismata ab eruditis hominibus laudabiliter colliguntur, & oblata magnis principibus gratum munus accidunt; profecto neque ij reprehendendi, opinor sunt; qui sanctissimorum Patrum, quib. Sancta Dei Ecclesia doctoribus utitur, exigua etiam monumenta summi illorum ingenij, ac cælestis planè doctrinæ imaginem exprimentia sedulo indagant, & colligunt: quinimo sperare non iniuria possunt, fore, ut christianæ Reip. principes sibi donata non aspernentur. Quamobrem cum Cardinalis Sirletus uir non minus probitate, ac scientiæ copia, quàm isto altissimo honoris gradu clarissimus, ex codice manuscripto duas D. Basilij epistolas describendi potestatem mihi fecißet; agnoui optimæ notæ aurum, & artis politissimæ opus. Sunt enim à Sanctissimo & doctissimo illo patre ad duos quasi hominum conuentus scriptæ non nihil in causis Ecclesiasticis dissidentes; quos ita conciliare inter se studet, ut in præcipuis tamen dogmatis, id est in ijs, quæ ab Ecclesia sunt definita, aut ex sacra scriptura manifestò deducuntur, concordes esse uelit. Itaque optimam hæ, nisi fallor, Epistolæ dissensionum sedandarum rationem docent. Quinetiam, cum præter ea, quæ in Symbolo Niceæ constituto sancita sunt, quædam alia exprimi uult, satis ostendit hoc multo magis Ecclesiæ Latinæ licuiße: qua de re in Ferrariensi Concilio diu est disputatum. Quamobrem & istas ego Epistolas egregiè charas habui, latinasque statim feci; & nunc ut facilius breuitatem suam ab iniuria temporum tuerentur, nonnullis D. Ioannis Chrysostomi aureis scriptis coniunctas ad Amplitudinem tuam defero; ut eas à te cæteri habeant. Quod quidem meæ erga uirtutem, atque humanitatem tuam obseruantiæ specimen alia fortasse aliquando, si non meliora (id enim fieri uix potest) at certè operosiora consequentur. Vale.

BASILIVS PRESBYTERIS TARSENSIBVS



OSTQVAM cum veſtro homine ſum congreſſus; magnas habui Deo ſancto gratias; qui me & illius præſentia in magnis meis angorib. conſolatus eſt; & veſtram charitatem per ipſum perſpicuè oſtendit. Nam veſtrùm ferè omnium erga veritatem Zelum ex vnius hominis inſtituto cognoui. Quæ igitur priuatim inter nos loquuti ſumus, ea ipſe ad vos deferet. Quæ autem ex me charitatem veſtram cognoſcere par eſt; hęc ſunt. Magna eſt inclinatio temporis ad Eccleſiarum euerſionem. Atq; id iam diu quidem eſt, cum intelleximus. Aedificatio autem eccleſię, erratorum correctio, erga fratres ſi infirmiores ſint, conſenſus quidam humanitatis plenus; ſin rectè valeant, propugnatio ipſorum ſalutis, planè nulla; ac ne pręſidium quidem, quod aut pręſentem morbum curare queat, aut impendentem propulſare. Omninoque ſimilis iam eſt Eccleſiæ ſtatus (vt ſimilitudine vtar, quamuis vilior videri poſſit, euidenti tamen) veteri veſtimento; quod vel leui de cauſa facilè diſcinditur, priſtinam verò ſoliditatem recuperare nullo pacto poteſt. Igitur, v in tali tempore, magnum ſtudium, magnaquè diligentia opus eſt in quibuſdam eccleſiis iuuandis: iuuabuntur autem, ſi quæ nunc diuulſa ſunt, coniungentur: coniungentur; ſi quibus in rebus nullum animabus detrimentum afferimus, voluerimus nos infirmioribus accommodare, & obſequi. Quoniam igitur multorum ora ſeſe aduerſus Spiritum ſanctum aperuerunt, multorumquè linguæ ad iaciendas in illum blaſphemias ſe acuerunt; optimum factu eſſe ducimus, vt quantum in vobis eſt, blaſphemorum numerum minuatis, & ad paucos redigatis: atque eos, qui Spiritum ſanctum creaturã eſſe negant, in cõmunionem recipiatis; vt ſoli relinquantur blaſphemi; atque ita vel pudore ad veritatem adducantur; vel ſi in peccato

manèant,

maneant, ob paucitatem indigni putentur, quib. fides habeatur. Ergo nil vltra quęramus; sed fratribus qui nobiscum coire societatem volunt, fidem, quę Niceę sancita est, proponamus; ac si in ea conueniant, illud quoque exigamus, Spiritum sanctum neque creaturam dici oportere, neque eos, qui dicunt, in communionem ipsis esse recipiendos. Nihil aliud est, quod præterea nobis inquirendum censeam. Persuasi enim mihi; si quid etiam est, quo ad ampliorem euidentiam addito opus sit; id frequenti collationi, minimeque contentiosæ inter nos exercitationi daturum esse Dominum; qui ipsum diligentibus omnia cooperatur in bonum.

Iis qui Tarsi sunt.



VANTVM sit pacis bonum, minimè narrato opus est, cum viris sermonem habenti, qui sunt filii pacis. Quando igitur hoc ipsum tam suspiciendum bonum, tamquè omnibus, qui dominum diligunt, curandum periclitatur iam, ne ad inane quoddam nomen redigatur; eò quòd cumulata iam sit iniquitas; & charitas in multis refrixerit; oportere arbitror in hoc vno studio eos versari, qui verè, ac germanè seruiunt domino; vt Ecclesias, quæ multis ex partibus, multisquè modis à se mutuò discissę sunt, ad concordiam, vnitatemquè adducant. Quod cùm ego quoque aggrediar facere, non est, quòd nimiùm seduli, atque in aliena negocia se intrudentis hominis crimen meritò pertimescam. Nihil enim tam proprium christiani est; ac pacem conciliare. Quamobrem etiam pro hoc opere maximam nobis mercedem dominus pollicitus est. Ergo cum fratrib. congressus, cum perspexissem, valde quidem fratres ab ipsis diligi, vosq; amari; sed multo adhuc magis amari Christum, & exquisitam, atque integram fidei rationem; & vtrunque ipsis magnoperè esse cordi; tùm à vestra charitate ne segregentur; tùm verò vt sanam fidem ne prodant; bonam hanc ipsorum men

rem amplexatus, scribo ad grauitatem vestram, omni obsecrans charitate, vt illos vobis ex animo coniungatis, omnisque Ecclesiasticæ curę participes habeatis; quemadmodum illis quoque vicissim spopondi rectam esse vestram mentem, vosque etiam, Dei gratia, pro vestro erga veritatem Zelo ad omnia subeunda paratos esse, quęcunquè pro verbo veritatis subire opus sit. Quæ autem, & vobis, quantum mihi persuadeo, minime aduersantur, & patribus, quos commemoraui, apta suntquæ animum expleant; hęc sunt: vt fateamini recipi à vobis fidem à patribus nostris, qui Niceæ quondam conuenerunt, expositam; nullamque earum, quæ illhic, dictionum reiiciatis; sed exploratissimum habeatis, tercentos decem octo patres, qui minimè contentionis cupidi conuenerunt, non sine spiritus sancti actu, & operatione loquutos esse; hoc etiam addentes fidei illi, Spiritum sanctum minimè dicendum esse creaturam, neque cum iis, qui dicunt, communicandum; vt pura sit Ecclesia Dei, nullum Zizanium secum admistum habens. Hac de re, si vestra illis intima dilectio satisfecerit; ipsi quoque parati sunt, eam vobis, quam par est, subiectionem præstare. Ego enim pro fratribus spōdeo, nulla illos in re contradicturos; sed maiorem in modum erga vos omnem modestiam adhibituros; si hoc vnum, quod à vobis expetunt, vestra ipsis perfectio libenter dederit.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELL. IACOBO BONCOMPAGNIO.

Flaminius Nobilius S. D.



VOD in communi hac totius aulæ, populique Romani lætitia omnes clientes tui faciunt, ut uoluptatem, quam ex contracta tibi cum clarissimo Sfortiarum genere affinitate, atque Equitum grauis armaturæ præfectura à Rege Catholico in te collata cæperunt, quibus possunt muneribus officijsque testentur; id à me uix sine scelere omitti posse putaui; quem tu hominem tibi ignotum, nec satis fortasse dignum, qui abs te cognosceretur, eo tantum nomine, quòd Illustrissimi Cardinalis Guidonis Ferrerij tui essem familiaris, tibi commendatum, ita in clientelam tuam recepisti, ut nullam in me ornando, atque honestando moram tibi interponendam existimares, aditumque mihi ad Philippi Vastauillanij familiaritatem Cardinalis prudentia, probitate, humanitate præstantissimi continuò patefaceres; quo summo beneficio nihil mihi quicquam contingere optatius potuisset. Affero igitur ad te Diui Maximi Monachi, & martyris Opusculum de mandatis Dei efficiendis, nuper à me in linguam latinam conuersum, tuoque Nomini dicatum. Dicet quispiam; Quid hæc ad Romanæ Iuuentutis Principem, & militarium copiarum ducem? Benè habet; quòd tu is es, qui tametsi rei bellicæ scientiam potissimum appetijsti, atque in ea partim rebus gestis clarorum Imperatorum legendis, partim audiendis peritis, quos magnis stipendijs, premijsque ad te undique inuitas, ita profecisti; ut si usus ueniat, indocilè illam usus disciplinam (quod de L. Lucullo summus Orator dixit) ingenij, animique altitudine te repræsentaturum nemo sit, qui dubitet; tamen cæteras etiam bonas artes usque à Puero adamasti, atque in ijs florentes homines cupidissimè & audis, & foues. Pietatem uerò præcipuè colis; qua una Virtutes omnes continentur; neque arti militari omnium ferè humanarum artium nobilissimæ hanc iniuriam facis,

quod

quod multi sunt soliti, ut perpetuas illi cum bonitate, ac religione susceptas inimicitias putes; sed per sanctè Deum ueneraris; bona quæcunque habes, (habes autem plurima, & maxima) illi accepta refers; ac denique illius mandata omnibus rebus anteponis. Huc accedit me ita cum animo meo cogitasse in tam necessario officio curandum mihi potius esse, ut qualecumque munus offerrem; quàm dum nimis subtiliter, ne ineptus habear, mihi prospicio; nihil offerem. Postremò Cardinalis meus, sponsorem se mihi fecit, te hoc quicquid est, in bonam acceptu-rum partem, nec tàm ad munus ipsum, quàm ad animum, unde proficiscitur, nec ad uitia Interpretis, sed ad optimi, ac sanctissimi autoris præstantiam spectaturum. Cuius quidem Cardinalis promissione tàm illustri dignitate, ac tanto illustriore uirtute uiri satis mihi cauisse uideor Spero tamen, quæ tua benignitas, ac morum suauitas est, nihil opus fore, ut sponsorem appellem. Reliquum est, ut Nuptias tuas bonis omnibus prosequar; utquè ea tibi res benè, & feliciter eueniat, Deum precer; quod qui magis ex animo faciat, nemini concedo. Vale.



BEATI MAXIMI MONACHI ET CONFESSORIS SERMO AD PIETATEM EXERCENS

Per Interrogationem, & responsionem.

Frater Senex.



FRATER interrogauit Senem his verbis. F. Amabo te mi Pater, dic mihi; quò spectet, ac tendat Incarnatio Domini. S. Miror te frater; qui cum ferè quotidie Symbolum fidei audias; de hac re me interroges. Veruntamen illud habeto, propositam incarnationi Domini esse nostram salutem. F. Modum explices Pater. S. Nimirùm cum initio homo á Deo factus, & in Paradiso collocatus mandatum violasset; in interitum, ac mortem incurrit; deindè per omnes ætates multis modis Dei prouidentia, curaque adiutus, tamen non destitit in peius ruere, & nouas in dies ad deteriorem partem accessiones facere, á multis, variisque carnis perturbationibus ad vitæ desperationem adductus. Propterea Vnigenitus Dei Filius ęternum verbum, quod est ante secula, Deus de Deo, fons vitæ, & immortalitatis apparuit nobis, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebamus, incarnatus ex Spiritusancto, & Sancta Virgine, ac Deiformis vitę rationem commonstrās, sanctaque mandata dans, & iis, qui ad eorum normam vitam instituissent suam, cœlorum regnum promittens, iis verò, qui ea minimè obseruassent, æternum supplicium comminatus, passus salutarem illam passionem, atque ex mortuis resurgens, resurrectionis, ęternęq; vitę spem nobis donauit, condemnationem, quę nos ex primorum parentum peccato, atque inobedientia tenebat, dissoluens, & imperium mortis morte abrogās; vt quemadmodum in Adam omnes moriuntur, ita in ipso omnes iustificen-

iustificentur; & in cœlos ascendens, atque à dextris Patris sedens Spiritum sanctum misit; qui arrabo vitę esset, & lucem, sanctitatemque animabus nostris, & auxilium illis afferret; qui pro sua ipsorum salute mandata illius obseruare omni studio, animique contentione conarentur. Hùc igitur, vt summatim dicam, incarnatio Domini spectauit. F. Velim Pater summatim audire, quę mihi conficienda mandata sint; vt per ipsa salutem consequar. S. Ipsemet Dominus postquam resurrexerat, id Apo-
Matt. 28. stolis patefecit. [Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti, docentes seruare omnia, quæcunque mandaui vobis]. Quamobrem, quicunque baptizatus est in nomine patris, & filii, & spiritus sancti; omnia quæcunque ille pręcępit, obseruet, oportet. Idcirco enim præter rectam fidem obtemperationem quoque omnibus mandatis Dominus adiunxit, copulauitque; quòd videret fieri minimè posse, vt vna absque altera homini salutem afferret. Propterea etiam Dauid recta imbutus fide, ad Deum dicebat, [Ad omnia mandata tua dirigebar; omnē viam iniquam odio habui]. Nam omnia nobis mandata contra omnem viam iniquam à domino donata sunt; ac si vnum negligatur; oppositam illi viciositatis viam loco ipsius succedere necesse est. F. Ecquis nam verò est, ò Pater; qui omnia efficere mandata queat, cum tàm multa sint? S. Qui Dominum imitatur, atque illius vestigia sequitur. F. Et quis est ò Pater, qui Dominum imitari possit? Dominus enim tametsi homo factus, tamen Deus erat. Ego autem homo sum peccatis inquinatus, ac sexcentis perturbationibus constrictus, seruusque factus: Quì igitur queam ego Dominum imitari? S. Nemo eorum, qui rebus huius mundi corporeis seruitutem seruiat, Dominum imitari
Matt. 19. potest. Quib. autem licet dicere, [Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te]; illi potestatem accipiunt ipsum imitandi, omniaque ipsius mandata conficiendi: qualem potestatem? Ipsum audi dicentem. [Ecce dedi
Lu. 10. vobis facultatem calcādi supra serpentes, & Scorpiones,

Fides sine operibus salutem non affert.

Psal. 118.

& super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.] Hac ipsa potestate, facultateque accepta dicebat Paulus. [Imitatores mei estote, sicut & ego Christi] ac rursus. [Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu; qui non secundum carnem ambulant; sed secundum spiritum] Et rursus. [Qui autem sunt Christi; carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis]. Et rursus. [Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.]. De hac ipsa facultate, atque ope prophetice scribens Dauid dicebat. [Qui habitat in adiutorio altissimi; in protectione Dei cœli commorabitur: dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum Deus meus; sperabo in eum.] & rursus. Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem: quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.]. Qui verò carni addicti sunt, ac mundi materiam amant; audi, qualia ab illo audiant. [Qui amat patrem, aut matrem plusquam me; non est me dignus: Et qui amat filium, vel filiam super me; non est me dignus; & qui non accipit crucem suam, & sequitur me; non est me dignus: Et omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quę possidet; non potest meus esse discipulus.]. Quisquis igitur illius discipulus fieri vult, atq; ipso dignus inueniri, & ab eo potestatem accipere aduersus spiritus nequitiæ; is segregat se ipsum ab omni carnis vinculo, liberatque ab omni erga materiam propensione. atque hic ille est, qui contra non aspectabiles inimicos pro illius mandatis decertat; quemadmodum ipsemet Dominus seipsum formulam, atque exemplar nobis præbuit; & ab illorum principe in Eremo, & cum mundo se dedit, ab iis, qui ab illo agitabantur, tentatus. F. Atenim multa sunt pater mandata Domini; & quis est, qui ita possit omnia in mente habere, vt in omnia seruanda contente incumbat? Ego verò, qui valde infirmam mentem gero, cupiebam breuem quamdam rationem audire; cui seruandę par ex ea salutem consequerer. S. Multa quidem sunt mi frater, sed ad breuem quamdam summam rediguntur, nimirum ad caput illud; diliges Dominum Deum tuum ex tota fortitudine

1. cor. 4. & 11. *Ro. 8.* *Gal. 5.* *Gal. 6.* *Ps. 90.* *Matt. 10* *Lu. 14.* *De dilectione Dei, & proximi.*

dine tua;& proximũ tuũ, ſicut te ipſum ;& qui hoc vnũ caput ſeruare contendit ; is omnia ſimul mandata exequitur. Neq; verò Deum , aut proximũ is germanè amare poteſt; qui ſe ipsũ,vt dictũ eſt,à rerũ corporearũ cupiditate nõ ſegregauerit.Pugnant.n.hæc inter ſe,materię incubare,ac Deũ diligere. Atq; hoc ſibi volebat Dñs, cũ ita diceret,[Nemo poteſt duob. dominis ſeruire.Aut.n. vnũ odio habebit, & alterũ diliget,aut vnũ ſuſtinebit,& alterũ contẽnet. Non poteſtis Deo ſeruire, & Mãmonæ]. Quatenus mens noſtra mundanis rebus inhęret ; eatenus ſeruitutẽ illis ſeruit , ac Deũ deſpicit,mandatũ violans.F. Qualibus rebus inquis ò Pater?S. cibis,pecuniis,poſſeſſionibus,gloriæ, cognationi, & cęteris;quę ſunt generis eiuſdẽ.F.Dic mihi pater; nonne Deus iſta condidit,& hominibus ad vſum dedit?Quomodo igitur iubet,ne illis adhęreamus? S. ſine dubio Deus cõdidit,atq; hominibus ad vſum dedit;bonaq; omnia à Deo sũt facta,vt benè iis vtentes Deo placeremus.Sed nos infirma, materięq; addicta mente præditi res corporeas pluris facimus,quàm mãdatũ dilectionis; iisq́, conſtricti cũ hominibus bellũ ſuſcipimus;cũ contra oporteret cuiusq; hominis dilectionẽ omnibus rebus, quę ſub aſpectũ cadunt , omnibusq; corporibus anteferre; quę quidẽ dilectio dilectionis erga Deũ indiciũ eſt: prout ipſemet Dominus in Euãgeliis oſtendit.[.Qui me diligit,inquit,mandata mea ſeruabit] Et quod nã mandatũ ſit illud,quod ſi ſeruauerimus , Dominũ ipsũ amaturi ſimus;audi ipsũ exponẽtẽ.[Hoc eſt pręceptũ meũ,ut diligatis inuicẽ]Vides mutua hominũ inter ſe charitate contineri charitatẽ erga Deũ?quę quidẽ plenitudo eſt totius diuini mandati . Hæc igitur cauſa eſt; quamobrẽ iubeat,ut quicunq; ſe illi prõptè,atq; alacriter in diſciplinam traditurus eſt,nõ modo hiſce rebus nõ adhęreſcat; ſed etiã omnia ſua renunciet.F.Quoniã dixiſti pater præ cuiuſlibet hominis dilectione omnia, quę ſub aſpectũ cadunt,atq; ipſũmet corpus poſtputanda eſſe;Ecqua ratione fieri poteſt; vt eũ diligã,qui me odio proſequitur,atq; auerſatur?Quòd ſi pręterea & mihi inuidet,& maledictis configit, doloſq; aduerſũ me ſtruit, & inſidias molitur; ec quo modo diligere il-lum

Margin notes: Matt. 6 (beside "Nemo poteſt duob. dominis"); Io. 14. (beside "oſtendit.[.Qui me diligit"); Io. 15. (beside "meũ,ut diligatis"); De diligendis inimicis (beside the last two lines).

lũ possum? Mihi quidẽ pater istud ex earum rerũ numero vi detur esse, quarũ natura nullo pacto compos est; quippe cũ ipsamet ex dolore perturbatio naturaliter cogat ab eo, qui dolorẽ iussit, alienũ animũ habere. S. In serpẽtibus quidẽ, ac Belluis, quę naturà aguntur, reuera fieri nõ potest, quin pro virib. de illo vindictã sumant, à quo molestia afficiũtur. At apud eos, qui ad imaginem Dei conditi sunt, & ratione aducuntur, ac Dei notitia dignati sunt, legemque ab ipso acceperunt, pote est eos, qui nobis dolorẽ fecerunt, nõ auersari, & eos, qui odio prosequuntur, diligere. Quamobrem Dominus cum inquit [diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus vos,] & quæ sequuntur, non tamquam impossibilia pręcipit, sed planè ut possibilia: cęterò qui minimè puniret eum, qui non seruaret. Id vero ipse Dominus per ipsamet opera demonstrauit; quinetiam omnes ipsius discipuli, pro sua erga proximum dilectione vsque ad mortem decertantes, & pro iis, à quibus occidebantur, ardenter precantes. Nos verò quoniam corporis, ac voluptatis amore capti sumus, atque hęc pluris quàm mandatum facimus; propterea eos qui oderunt, diligere minimè possumus; sed potius iisdem adducti causis, uel eos, qui nos amant, sępe auersamur, animo deterius, quàm ferę, ac serpentes, affecti. Quocirca cum Domini vestigia sequi nequeamus; neque etiam scopum ab ipso propositum ita nosse possumus, vt potestatem accipiamus. F. Ecce pater abieci omnia, cognationem, opes, delicias, mundanam gloriam, nec quicquam mihi pręterea in hac vita superest, quod possideam pręter ipsum corpus; ac tamen fratrem, qui me odio prosequatur, atque auersetur, amare, non possum; quamuis eatenus mihi uim afferam, vt malum pro malo factis ipsis non reddam. Quid igitur mihi faciendum est; vt ipsum ex animo queam diligere, etiam si quantas maximas potest molestias, calamitatesque mihi afferat, meque insidiis appetat? S. Fieri minimè potest, vt quispiam ex corde diligat vexatorem suum, tametsi huic mundanæ materiæ videatur renunciasse; nisi Domini

Lu. 6.

Præcepta sunt possibilia.

mini scopũ verè cognouerit. Sin autem domino id illi gratificante scopum cognoscere potuerit, ac secundum illum ambulare studuerit; potest eum, qui odit, ac vexat, ex animo diligere; quemadmodũ dilexerunt Apostoli, eò quòd illum benè cognitum haberent. F. Ecquis nam scopus Domini est, ad quem cognoscendum cohortaris pater? S. si Domini scopum nosse vis; attente audi; ac primùm pro me ora; vt à Deo mihi detur sermo, qui id quod à nobis quęritur, possit exponere. Dominus igitur noster Iesus Christus naturà Deus, & propter amorem erga homines homo fieri non dedignatus, genitus ex muliere, sub lege factus est secundum diuinum Apostolum; vt cum mandatum, quà homo, seruasset; antiquam Adę maledictionem è medio tolleret. Intelligens igitur Dominus vniuersam legem, ac Prophetas ex duobus legis pendere mandatis, nimirùm istis, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum; hęc ab initio, & vsque ad finem congruenter humanæ naturę seruare studuit. Ille autem qui ab initio decepit hominem, ac propterea imperiũ mortis obtinuit, Diabolus inquam, animaduertens ei in Baptismate à Patre testimonium dari, eumq́;, vt hominem de cœlis accipere cognatum Sanctum spiritum, & ab eo in Eremum, vt tentaretur, expulsum esse, vniuersam belli molem in ipsum conuertit; si qua forte ratione persuadere illi posset, vt mũdi materiam pluris faceret, quàm dilectionem erga Deum. Ergo cum intelligeret Diabolus tria esse, in quibus omnia humana versarentur, cibos inquam, pecunias, honores; per quę etiam in perditionis barathrum coniecerat hominem; in his ipsis tribus eum in Eremo tẽtauit. Quibus cum Dominus noster se superiorem ostendisset, retro abire Diabolum iussit. Hoc igitur dilectionis erga Deum indicium est: Cuius mandatum, cum iis, quibus Diabolus sibi pollicitus erat, rationibus, Domino, vt transgrederetur persuadere non potuisset; tum vero in posterum, vt Dominus in mundum prodiens mandatum dilectionis erga proximum violaret, iniquorum Iudæorum operà vsus, quibuscumque artificiis potuit, adlaborauit. Propterea cum ille do-

Scopus incarnationis

Artificia diaboli erga Dominum

ceret

ceret vias vitæ, & opere commonstraret cœlestem viuendi rationem, & adnunciaret resurrexionem mortuorum; promitteretque vitam ęternam, & cœlorum regnum credentibus, iis verò, qui non credidissent sempiternum supplicium comminaretur; & ad eorum, quæ dicebat, confirmationem, diuina, & quæ opinionem superarent, signa ostenderet; & ad fidem turbas vocaret; Diabolus iniquos illos Pharisæos, & scribas concitabat; vt variis modis eum adorirentur; vt cum ille, quemadmodum putabat, tentationes ferre non posset; ad eos, qui insidiabantur, odio persequēdos, præceps ferretur; atque ita malus dęmon, quod cupiebat, assequeretur, cum dominum nostrum violatorē mandati dilectionis erga proximum ostendisset. Dominus autem, vt pote qui Deus erat, non ignorans illius cogitationes, ac desideria, ipsos quidem ab illo actos Pharisæos odio minimè prosequebatur, (quomodo enim posset is, qui naturà bonus est?) sed per eam, qua illos complectebatur, dilectionē, illū à quo agebantur, puniebat, atq; vlciscebatur; & illos quidem, qui agebantur, quippe qui poterāt quidem non agi, sed sponte ex socordia ac negligētia agentem ferebant, monebat, arguebat, increpabat, miseriam in qua erant, patefaciebat, nec benefacere vnquam intermittebat; cum blasphemiis appeteretur, lenitatem, ac lentitudinem, cum malè acciperetur, tolerantiam adhibebat; omniaque dilectionis officia erga ipsos representabat; impulsorem verò, hac in eos, qui impellebantur, humanitate puniebat (ò inusitatum, atque omnem opinionem superans bellum), pro odio dilectionem pręstans, & bonitate feriens ipsum iniquitatis patrem. Idcirco tot, tantisq; malis ab illis affectus vel potius, vt verius dicamus, per illos; vsque ad mortem pro dilectionis mandato, eo, qui homini conueniebat, modo decertauit: atque integra victoria de diabolo reportata, corona resurrexionis pro nobis se induit. Atque hoc illud est, quod inquit diuinus Apostolus [Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu; qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse ęqualem Deo; sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & in similitudine homi-

Liberum arbitrium

Philip. 2.

hominis factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Iesus in gloriam Dei Patris]. Hic igitur fuit Domini scopus; vt Patri quidem obediret vsque ad mortem, quà homo pro nobis custodiens mandatum dilectionis; diabolum autem puniret eo ipso, quòd ab eo per scribas & Pharisæos, quos ille impellebat, malè acciperetur. Atque ita, dum sponte vincitur; vicit eum, qui victoriam sibi pollicebatur; atque ab eius Tyrannide mundum liberauit. Hoc modo Christus ex infirmitate crucifixus est; per quam infirmitatem, mortem mortuam reddidit; & eum, qui mortis habebat imperium, principatu deiecit. Hoc etiam modo Paulus in seipso infirmabatur, & gloriabatur in infirmitatibus vt inhabitaret in ipso virtus Christi. Hanc vincendi rationem cum didicisset, ad Ephesios ita scribebat, [Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem, & carnem; sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum seculi huius, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus]: illosque vniuersam Dei armaturam sumere iubet, thoracem iustitiæ, & galeam spei, & scutum fidei, & gladium spiritus; vt qui cum inuisibilibus inimicis bellum gerunt, possint omnia improbi illius ignita iacula extinguere. Factis verò huius luctæ rationem demonstrans dicebat. [Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar]: Et rursus, [Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus; & nudi sumus, & colaphis cędimur]: Et rursus, [In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate, præter illa, quæ extrinsecus sunt] Ac talem quidem pugnam aduersus Dæmonas, qui voluptate titillabant carnem, pugnauit, per infirmitatem

Scopus domini. — *2. Cor. 12.* — *C. 6.* — *1. Cor. 9.* — *Ibidem. c. 4* — *2. Cor. 11.*

firmitatem proprii corporis illos expellens. At aduersus eos, qui odium inserere certant, atque idcirco inconsideratos homines aduersus pios concitant; vt per illos tentati, illos odio prosequantur, ac dilectionis mandatum violent, rursus luctandi rationem factis nobis commonstrans, dicebat, [Maledicimur, & benedicimus; persequutionem patimur, & substinemus; blasphemamur, & obsecramus tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc] Nam Dæmones quidem ideo aliquem qui maledictis, ac blasphemiis Paulum insectaretur, atq; hostili animo persequeretur, submittebant; vt ad eum, qui conuicia, ac blasphemias congerebat, atq; insectabatur, odio prosequendum adducerent, hoc sibi pro fini proponentes; vt ille dilectionis mãdatum violaret. Apostolus autem non ignorans illorum consilia, maledicentibus benedicebat, & insectantes ferebat, & eos, qui blasphemabant, obsecrabat, vt à dæmonibus quid em, qui talia in ipsis patrabant, deficerẽt, bono autem Deo se coniungerent, ac familiares fierẽt; dęmonas verò, qui hęc moliebãtur hoc pugnę genere puniebat, in bono semper vincens malum, ad imitationem Saluatoris. Atq; ita cùm ipse, tum cęteri Apostoli vniuersum mundum à dęmonibus segregantes, Deo coniunxerunt; clade ipsa sua victoriam de iis reportantes, qui vincere putabant. Ergo tu quoque Frater, si hunc tenueris scopum, potes, qui te oderunt, diligere; sin minus; planè non potes. F. Verè, Pater, ita est; neque alia ratione licet: ac propterea Dominus cum blasphemiis, ac colaphis appeteretur, & reliqua pateretur, quæ à Iudæis passus est; ęquo animo tulit: illorum quidẽ, vt imprudentium, atque in fraudem inductorum miseratus (Ex quo illę voces de cruce [Pater dimitte illis non enim sciũt, quid faciũt]) de Diaboli verò, ac principum dęmonum malitia, ac fraude triumphans in cruce, cùm pro dilectionis mandato, sicuti dixisti, vsque ad mortem cum illis concertasset, & victoriam, quam de illis erat consequutus, nobis gratificatus esset, ac mortis imperium sustulisset; suam ipsius resurrexionem toti mundo ad uitam donauit. Sed ora pro

1. Cor. 4.

Lu. 23.

pro me Pater; vt integrè, atque omni ex parte valeam Domini, atque Apostolorum ipsius scopum tenere, ac vigilare in tentationum temporibus, neque ignorare cogitationes, & consilia Diaboli, ac Dęmonum ipsius. S. si ea, quæ dicta sunt, semper tecum sedulò mediteris; poteris non ignorare; ac si illud pręterea in mente habueris; quemadmodum tu tentaris, ita & fratem tuum tentari; ac si ei quidem, qui tentatur, veniam dederis; tentanti autem, qui te ad odium eius, qui tentatur, adducit, restiteris, ipsius artificio, & machinamento haud quaquam cedens. Atque hoc
c. 4. illud est, quod præcipit Iacobus in catholicis Epistolis. [Subditi estote Deo; resistite autem Diabolo, & fugiet à vobis.] Ergo si perpetuò, & vigilanter, vt dictum est, ea quæ exposuimus, cures, ac mediteris; potes Domini, atque ipsius Apostolorum scopum cognoscere, & homines quidē diligere; atque illorum casus, & prolapsiones misericordia prosequi; cum improbis verò dęmonibus per dilectionem sempiternum bellum gerere. Quòd si vani esse volumus, incogitantes, socordes, & corporeis voluptatibus mentem obruimus; nō dęmonibus, sed nobis ipsis, & fratribus bellum facimus; quinimò dęmonibus per voluptates seruimus, pro ipsis cum hominibus pugnantes. F. Ita uti est, dicis pater. Semper enim ex mea socordia dęmones contra me occasiones arripiunt. Sed quæso te pater, vt mihi exponas, quanam ratione comparanda mihi sit vigilantia, ac diligentia. S. Perfecta rerum terrenarum despicientia, assiduumque diuinę scripturæ studium animum in Dei timorem adducit. Dei autem timor vigilantiam affert; tuncque anima incipit & cernere dęmonas, qui sibi ratiocinationibus suggerendis bellum inferunt, & punire; de quibus dicebat Dauid [Et despexit oculus meus super inimicos meos, & super eos, qui insurgunt in me, malignantes, audit auris mea] Ad hanc luctam ipse etiam Apostolorū Coriphæus Petrus excitans discipulos dicebat. [Sobrii estote, vigilate: aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quęrens, quem deuoret; cui resistite fortes
ca. 10. fide] Sed & Dominus. [Vigilate, & orate, ne intretis in tētationem

tionem] Ecclesiastes verò inquit, [Si spiritus potestatē habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris] locus autem mentis virtus est, & notitia, ac timor Dei. Admirabilis autem Apostolus valdè sobriè, ac generosè pugnans dicebat. [In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt; sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam] Igitur si Sanctos tu quoque imitaberis, ac multo cum labore vacabis Deo, sobrius, ac vigilans eris. F. Et quid homini faciendum o Pater est, vt mens assiduè queat vacare Deo? S. Nefas est mētem vsque quaque vacare Deo; nisi tribus hisce virtutibus prædita fuerit, charitate, temperantia, attentione in orando. Nam charitas quidem mulcet iram, temperantia verò extinguit libidinem: oratio verò mentem abducit ab omnibus cogitationibus, nudamq; ipsi sistit Deo. His igitur tribus virtutibus cęteræ omnes compręhenduntur ac sine his Deo mens vacare non potest. F. Cupio Pater discere quo pacto charitas sedet iram. S. Quoniam in charitate hæc sunt; misereri, & benefacere proximo, tolerantiam erga illum adhibere, atque æquo animo ferre, quæ ab illo accidunt, quemadmodum sæpè diximus. Hæc igitur cum habeat charitas, nihil mirum si in homine, cui adest, iram mollit, ac mitigat. F. Non parua sanè illius officia: sed planè felix, qui adipisci illam potest. Ego autem re uera longè ab illa absum. Veruntamen amabò te pater, dic mihi quid sit longanimiter agere. S. Patienter ferre, quę grauia accidunt, ac tolerare molesta, atque expectare finem tentationis, nec temere iram emittere, nec verba effutire imprudentiæ plena, nec suspicari, aut in animum admittere quippiam, quod pium, ac Deo deditum hominem non deceat, quemadmodum inquit scriptura. [Vsque in tempus substinebit patiens & postea redditio iucunditatis; vsque in tempus comprimet verba; & labia multorum enarabunt

Cap. ..

2. cor. 10.

Mens nō uacat Deo nisi per charitatem, temperantiam, orationem.

Eccl. 1.

rabunt sensum illius? Hæ igitur sunt notæ longanimitatis, sed non solæ: nam & illa non minima pars est, ita secum putare, se esse, qui tentationi causam dederit. Forte verò, & ita se res habet, Multa enim eorum, quæ nobis accidunt, vel ad nos erudiendos accidunt, vel ad præterita crimina abolenda, vel ad præsentem negligentiam corrigendam, vel ad ea, quibus inquinari posthac possemus, vitia euitanda. Qui igitur ita cum animo suo cogitat, vnam aliquam harum causarum fuisse, cur tentatio aduenerit; dum vapulat, non excandescit (præsertim cum sibi ipse peccati sui sit conscius); neque illum causatur, per quem accidit tentatio, (nam siue per hunc, siue per alium, bibendus ipsi omnino erat calix diuinorum iudiciorum); sed in Deum intuetur, eique punienti gratias agit, & seipsum causatur, atque alacriter suscipit disciplinam; quo quidem modo se gessit Dauid in Semei, & Iob in mulierem. Homo verò imprudens rogat quidem persępe Deum, vt ab eo misericordiam consequatur, & à grauib. perturbationibus liberetur; accedentem verò misericordiam non suscipit; quoniam eo, quo ipse concupierat modo, non accedit, sed quo medicus animarum expedire iudicauit, ac propterea illam contemnit, ac præ perturbatione ęstuat; atque interdum quidem aduersus homines excandescit, interdum verò Diuinam Naturam blasphemiis appetit: atque ita & ingrati animi indicium dat, & virgam paternam auersatur. F. Rectè dixisti Pater. Sed illud etiā mihi exponas velim, quomodo temperantia cupiditatem extinguat. S. Quoniam facit, vt à rebus omnibus, quæ ad explendam egestatem necessarię non sunt, sed ad voluptatem comparantur, abstineamus; nec quicquā nobis velimus, præter ea, quę ad vitam opus sunt; nec iucunda, sed vtilia persequamur. vsui prętereà respōdere proportione vult esculenta, & poculenta, nec sinit corpus humore nimio mollescere; sed satis id habet, si solam corporis vitam conseruet; neque hominem libidine cōmiscendorum corporū perturbari, atque auferri sinit. Hoc igitur modo temperantia cupiditatem extinguit. Voluptas vero, cibiq; ac potus immoderatio, ventrē excal-

cōditiones longanimitatis.

Cur nobis accidant calamitates.

facit;

facit; turpes cupiditates excitat, accenditque; ac totum animal concutit, impellitq; ad amentem illam cõmistionem. Tunc oculi inuerecundi, & manus effrenata, & lingua loquens titillat auditum; & auris vanas voces accipit; & mens Deũ despicit; & anima consultò mechatur, corpusq; ad nefandum opus patrandũ aduocat. F. Vera narras. Sed cupio preterea discere, quomodo orandi attentio mentem abducat ab omnibus cogitationibus. S. Cogitationes sunt rerũ cogitationes. Rerũ verò aliæ intelligentia compræhendũtur, aliæ sub sensum cadunt. Has ipsas igitur versans animus, cogitationes, & simulachra ipsarum circumfert. At gratia orationis Deo mentem coniungit; coniunctam abducit à cogitationibus. Tunc nuda mens cum illo familiariter habitans Deiformis fit; talis facta, ea, quæ decent, ab illo postulat; neque vnquam frustra. Hæc igitur causa est; quamobrẽ Apostolus sine intermissione iubeat orare; vt assiduè Deo mentem coniungentes, paulatim propensionem ad res corporeas exuamus. F. Ecqua nam ratione potest mens sine intermissione orare? Ipsam enim & psallentes, & legentes, & colloquentes, & ministrantes in multas cogitationes, contemplationesque distrahimus. S. Nihil eorum, quę fieri non possunt à diuina Scriptura imperatur. Nam vel ipse Apostolus & psallebat, & legebat, & docebat, & ministrabat, multisque modis petitus in ærumnis erat, ac tamen sine intermissione orabat. Assidua enim oratio est, mentem habere multa cum innocentia, ac desiderio affixam Deo, speque ab illo semper pendere, & in ipso omnem suam fiduciam reponere omnibus in rebus, quæcunque geruntur, & quæcunque accidunt. Hoc modo affectus Apostolus dicebat. [Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?] Et paulo post [Certus.n. sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neq; principatus, neque virtutes, neque instantia, neq; futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu

Quomodo mens sine intermissione oret.

Nihil impossibile in scriptura imperatur.

Ro. 8.

2. Cor. 4. DOMINO NOSTRO]: & rursus, [In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur, persequutionem patimur, sed non derelinquimur, deiicimur, sed non perimus, semper mortificationem Domini in corpore circumferentes; vt & vita Iesu manifestetur in mortali carne nostra: semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum; vt & uita Iesu manifestetur in carne nostra mortali]. Hoc igitur modo affectus Apostolus sine intermissione orabat. In omnibus enim quęcunque gereret, vt dictum est, & quęcunque ipsi accidérent, spe à DEO pendebat. Propterea omnes semper sancti in calamitatibus lætati sunt, vt ad habitum diuinæ spei peruenirent; & propterea dicebat Apostolus. [Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in
12. me virtus Christi; propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatib., in persequutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum]. Sed veh nobis miseris, qui viā sanctorum dimisimus; ideoque omni spirituali opere vacui sumus. F. Quid causæ est, quamobrem compunctionem non habeam? S. Quoniam timor Dei non versatur ob os, atque oculos nostros; quoniam malorum omnium facti sumus habitaculum: ac propterea terribile illud Dei iudicium perinde quasi futile somnium sit, contempsimus: cęteroqui quis non compungatur? audiens partim quidem Moysem per Dei personam de peccatoribus hęc dicentem, [Ignis succensus est
Deuter. 32 in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima; deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis] & rursus. [Acuam vt fulgur, gladium meum; & arripiet iudicium manus mea, & reddam vltionem hostibus, & his, qui oderunt, me, retribuam] partim verò Esaiam clamantem? Quis adnunciabit vobis locum ęternum? ambulate in lumine ignis vestri & in flāma, quam succendistis?] ac rursus; [Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui pręuaricati sunt in me. Vermis enim eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur; & erunt

Vulgata [si acuero]

Ca. 33. ubi uulgata [quis habitabit] & c. 50 Ca. ult.

erunt in uisionem omni carni.], partim etiam Hieremiam Cap. 13.
dicentem, [Date Domino uestro gloriã, antequam contenebrescat, & antequã offendant pedes uestri ad montes tenebrosos. Expectabitis, lucem, & ibi vmbra mortis: & ponentur in tenebris]: & rursus. [Audi popule stulte, qui non Cap. 5.
habes cor: qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus; & à facie mea non timebitis, qui posui arenam terminum mari, preceptum sempiternum, quod non præteribit?] & rursus. [Auersio tua erudiet te, & malitia tua arguet te; & scito, Cap. 2.
& vide, quia amarum tibi est te reliquisse me, dicit Dominus]. Ego plantaui te vineam fructiferam omnem veram: quomodo conuersa es in amaritudinem vitis aliena? & rursus. [Non sedi in Concilio ludentium, & metuebam á fa- Cap. 15.
cie manus tuæ. Solus sedebam, quoniam amaritudine repletus sum.] Ecquis verò non contremiscat; qui Ezechie- Cap. 7.
lem audiat dicentem. [Effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te, & iudicabo te iuxta uias tuas, & ponam super te omnes abominationes tuas, & non parcet oculus meus, nec miserebor; & tunc scies, quia ego Dominus]. Ecquis verò non compungatur Danielem audiens singillatim describentem terribilem illius iudicii diem? [Aspiciebam inquit, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum quasi Cap. 7.
nix, & capilli capitis eius, quasi lana munda. Et thronus eius flamma ignis; rotę eius ignis accensus: fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt.] arguentes nimirùm, quæ cuique gesta sunt; & rursus. [Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce ex nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius oblatus est ei: Et ipsi datus est principatus, & honos & regnum, & omnes populi, tribus, linguę ipsi seruient: & potestas eius potestas ęterna, & regnum eius non corrumpetur. Horruit spiritus meus, Ego Daniel in habitu meo, & uisiones capitis mei conturbauerunt me]. Ecquam

Psal. 61. quem ver non terreat Dauidis verba illa? [Semel loquutus est Deus; duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia; quia tu reddes vnicuique iuxta
Eccl. 12. opera sua]; & rursus voces illę Ecclesiastis? [Finem sermonis, in quo omnia sunt, audi. Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo: quia omne factum, adducet Deus in iudicium siue bonum, siue malum sit]. Ecquem non similes Apostoli voces? [Omnes enim nos
2. Cor. 5. manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque nostrum ea, quæcunque per corpus gessit, siue bonum, siue malum]. Quis ergo sit, qui infidelitatem nostram, animęque nostrę cęcitatem non lugeat? qui hęc omnia audientes, haud tamen pęnitentia afficimur; neque tantam nostram indiligentiam, ac socordiam amarè flemus? quam pręuidens Hieremias dicebat: [Maledictus, qui facit opera Domini negligenter,]. Nam si curę nobis esset, salus animarum nostrarum; contremisceremus ex sermone Domini; plurimumq; studii in mandatis ipsius conficiẽdis poneremus; in quibus salus nostra posita est. Sed nos audientes Dominum, cum ita diceret, [Intrate per angustã portã, quę ducit ad vitam], latam illam, ac spaciosam pluris facimus, quę ducit ad interitum. Propterea cum ille è cœlis aduenerit, iudicaturus viuos, & mortuos, audiemus. [Discedite à me maledicti in ignem ęternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius;]. Atq; hęc audiemus; non quòd facinora, ac flagitia patrauerimus; sed quòd ad bona opera prętstanda nihil curę, studiiq; adhibuerimus, ac proximũ minimè amauerimus. Quòd si pręterea malefacta adsunt, ac tamen adeo negligenter agimus; quì ferre diem illum poterimus? Ac sanè per Moysem dictũ est antiquis, Non mœchaberis, Non occides, & reliqua quę sequuntur. Dominus autem sciens Christiano homini ad perfectionẽ non sufficere
Matt. 5. horum dũtaxat mandatorũ obseruationem, dicebat. [Amẽ dico uobis. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarũ, & pharisęorũ; non intrabitis in regnum cœlorum.] Quamobrẽ nullo non loco animę sanctitatem, per quã corpus etiã sanctificatur, sinceramq; erga omnes homines charitatem

Marginal notes: Cap. 4. uulgata autem paulo aliter. — Matt. 7. — Matt. 15.

ritatem pręcepit: quibus ex rebus & charitatẽ illam, quę erga ipsum est, cōparare nobis poterimus: atq; vt sæpè dictũ est, seipsum nobis formulã vsque ad mortem, suosq; discipulos prębuit. Quam igitur defensionis rationem inueniemus in die illo, exemplar huiusmodi habentes atque adeo negligenter, oscitãterq; agentes? Vicem nostrã lugens Hieremias, qui tanto gratię munere dignati fuimus, ac tantam socordiam, atque incogitantiã adhibemus, vel potius omnibus vitiis inquinati sumus, dicebat. [Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarũ, & plorabo populũ hunc die, ac nocte?] De nobis & Moysem audio dicẽtem: [Et comędit Iacob, & impletus est, & recalcitrauit dilectus, incrassatus, impinguatus, dilatatus & dereliquit Deũ factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.] Nec non Micheam lugentem, ac dicentem. [Veh mihi anima quia periit reuerens de terra, & qui corrigat, in hominibus non est: vnusquisq; proximũ suũ tribulat tribulatione; in malũ manus suas præparant] & Psalmistã similiter de nobis dicentem. [Saluum me fac domine, quoniã defecit sanctus, quoniam diminutę sunt veritates à filiis hominum. Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum; Labia dolosa, in corde, & corde loquuti sunt: disperdat dominus vniuersa labia dolosa, linguam magniloquam.] Propheticis etiam vocibus nos lugens Apostolus dicebat. [Non est, qui faciat bonum; non est vsque ad vnum. Sepulchrũ patens, est guttur ipsorum; linguis suis dolosè agebant. venenum aspidũ sub labiis eorum: quorum os maledictione & amaritudine plenum est; contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum] Idcirco rursus prospiciens futura, de præsenti hac nostra improba viuendi ratione ad Timotheum scribebat. [Hoc autem scito; quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incōtinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatũ magis amatores, quàm Dei,

Cap. 9.

Deuter. 32 uulgata autem paulo aliter.

Cap. 7 uulgata paulo aliter.

Psal. 11.

Ro. 3.

Tim. 3.

Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes]. Propterea veh nobis; qui in ipsa malorum extrema incidimus. Quotus enim quisque nostrum est, dic mihi, qui commemoratis vitiis non sit implicatus? Non ne in nobis expleta est prędictarum rerum prophetia? An non omnes sumus ventri dediti? An non omnes sumus voluptatum amatores? an non omnes rebus corporis inhiamus, atq; insanimus? an non omnes iracundia efferimur? an non omnes sumus iniuriarum memores, atque ad vindictam sumendam accensi? an non omnes omnium virtutum proditores, contumeliosi, dicaces, proterui, osores fratrum, tumidi, arrogantes, elati, inanis glorię cupidi? an non omnes hypocritę, fraudulenti, inuidi, inordinati, incurantes, vagi, negligentes, socordes mandatorum saluatoris, omni viciositate referti? An non pro tẽplo Dei facti sumus templũ Idolorũ? Nõne spiritus sancti loco improbis spiritibus referti sumus? nõne falsò Deũ patrẽ inuocamus, & pro filiis Dei filii nunc gehẽnę facti sumus? nõne qui magnũ Christi nomen prae nobis ferimus, ac iactamus, Iudęos ipsos improbitate superauimus? Nec verò audita veritas indignationem pariat, & iracundiã cuiusquam prouocet.
Io. 8. Quoniam & illi tunc, cum legis violatores essent, dicebãt, [Nos vnum patrem habemus Deum] sed à Saluatore audierunt; [Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere]. Quorum similia verba & nos ab ipso audiemus, quoniam proditores mandatorum ipsius sumus. Nam & Apostolus eos, qui spiritu aguntur, Dei filios nominauit.
Ro. 8. Nam [Quicunque inquit, spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt?]. Quomodo igitur nos, qui ab ipsa morte agimur, filii Dei appellari poterimus [prudentia enim carnis mors;] Sanè qui spiritu aguntur, ex fructibus spiritus indicantur. Videamus igitur, num fructus illos, qui à spiritu sunt, feramus. [Fructus enim spiritus, inquit, est cha-
Gal. 5. ritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia.] Hęccine in nobis habemus? Vtinam ne omnia, quae his aduersantur. Quo igitur modo filii Dei vocari poterimus, ac non potius

ex ad-

ex aduersario? Nam quod ex aliquo fit; simile effectori est; quod vel dominus ipse ostendit, cum ita diceret. [Quod natum est ex spiritu, spiritus est;] nos autem caro facti sumus, cupiditate elati aduersus spiritum; idcircoque meritò ab ipso audimus[Non permanebit spiritus meus in hominibus his, quoniam carnes sunt]. Quo igitur modo quicquam ad nos Christiani nomen pertinebit; si nihil, quod Christi sit, nobiscum habemus? Sed forte dicet quispiam; ego fidem habeo, & fides in ipsum satis mihi est ad salutem Sed quid isti respondebit Iacobus? [Et Dæmones credunt, & contremiscunt;] & rursus. [Fides sine operibus mortua est in semetipsa;] Quemadmodum & opera sine fide. Quomodo autem credimus in ipsum, vel ei de futuris rebus credimus; si de præsentibus, quæq; in manu sunt, nō credimus? & propterea rebus corporeis nos immergimus, & carne viuimus, & contra spiritum militamus? At qui Christo in veritate crediderant, ipsumq; totum mandatorum obseruatione domesticum sibi habitatorem fecerāt; ita dicebant. Viuo ego iam non ego; viuit autem in me Christus: quòd autem nunc viuo in carne, fide viuo filii Dei, qui dilexit me, & dedit seipsum pro me]. Propterea cum pro ipso salutem omnium procurantes malè acciperentur, vt pote qui diligentes, atque accurati ipsius imitatores, germaniq́ue mandatorum ipsius custodes essent; dicebant, [Maledicimur & benedicimus, persequutionem patimur, & substinemus, blasphemamur, & obsecramus.] Audierant scilicet ipsū dicentem. [Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos; benedicite maledicentibus vos; orate pro persequentibus, & calūniantibus vos.] & quę sequuntur. Ita cùm ex sermonibus, tùm ex factis indicabat Christus se esse, qui in ipsis operaretur. Nos autē, quoniā nulla nō ipsius mādata violamus; propterea omni impuritate, atq; improbitate abundamus; factiq; sumus pro templo Dei domus negociationis, & pro domo orationis, spelunca latronū, pro gente sancta, gens peccatrix, & pro populo Dei populus plenus peccatorū, pro semine sācto semen sceleratū, & pro filiis Dei, filii illegitimi; quoniā deseruimus mādata domini, ac seruimus improbis

Io. 3.

Gen. 6. ubi uulgata paulo aliter.

Ia. 2.

Et fides sine operibus & opera sine fide mortua sunt.

Gal. 1.

1. Cor. 4.

Matt. 5.

spiritibus per impuras affectiones;& ad iracūdiā prouocaui mus Sanctū Israel. Ideo vicem nostrā plorans magnus Esaias clamat, mederi simul cupiens calamitatibus nostris. [In quo percutiā vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languens, & omne cor mœrens à pedibus vsq; ad caput; neque vulnus, neque liuor, neque plaga tumens. Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas]. Deinde quid propter hæc? [Derelinquetur filia Sion, vt tabernaculum in vinea, & sicut tuguriū in cucumerario, & sicut ciuitas, quæ vastatur.] Hanc animæ nostrę solitudinem Apostolus quoque patefaciens, dicebat. [Et sicut non probauerūt Deū habere in notitia; tradidit illos Deus in reprobū sensum; vt faciant ea, quę non conueniunt, repletos omni iniustitia, improbitate, malitia, auaricia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, cōtumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorū, parentibus non obędientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia: qui cum iustitiā Dei cognouissent, quòd qui talia agūt, digni sunt morte, non solū ea faciunt, sed etiam consentiūt facientibus. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.] Et quid posthęc expectandum? [Reuelatur, inquit, ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominū;] & quæ sequuntur. Hanc animę solitudinem Dominus quoque significans dicebat. [Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, vt gallina congregat pullos suos sub alis: & noluisti. Ecce dimittitur domus vestra deserta.] Esaias verò iterū cum videret nos, monachos inquam, corporca tantū ministeria implere, spiritalia autem despicere, atque hinc intumescere, dicebat. [Audite verbum Domini principes Sodomorum: percipite legem Dei populus Gomorræ. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum. Plenus sum holocausto arietum, & agnorum: adipem, & sanguinem taurorum, & hircorum nolo. Quis enim quæsiuit hæc de manibus vestris? Calcare atrium meum non

Marginal notes: Esa. 1. — Rō. 1. — ibidem. — Matt. 23. — Esa. 29.

num non apponetis. Si afferatis similaginem; frustra: incensum abominatio est mihi. Neomenias vestras, & sabbata & magnum diem non fero: Ieiunium, & ocium, & neomenias vestras, & sabbata odiuit anima mea. Facti estis mihi in satietatem: nequaquam posthac dimittam. Cum extenderitis manus ad me, auertam oculos meos à uobis. Et cum multiplicaueritis orationem; non exaudiam uos.] Quam ob causam? [Manus enim vestræ, inquit, sanguine plenę sunt.] Quoniam qui fratrem suum odit; homicida est. Propterea omnis exercitatio, ac vitę ratio charitatis expers, aliena à DEO est: propterea & hypocrisim nostram tantò antea arguens dicebat. [Populus iste labiis suis honorat me; cor autem eius longè est á me. Frustrà colunt me. & quæ sequuntur. Ac sanè, quæ ipse DOMINUS dicebat, cum miseros prædicaret Iudęos, ita audio; perinde quasi ad nos dicta sint; qui nunc hypocritæ sumus; qui tanto gratię munere dignati, deterius quàm illi affecti sumus. Nonne & nos alligamus onera grauia; & importabilia; & imponimus in humeros hominum; quæ nos ne digito quidem mouere volumus? Non ne & nos omnia nostra opera facimus, vt videamur ab hominibus? Nonne & nos amamus primos accubitus in conuiuiis, & primas cathedras in conuentibus, & salutationes in foro, & voces illas hominum; rabbi, rabbi; & eos qui hęc in nos non diligentissimè conferunt, vsque ad mortem bello persequimur? Nonne & nos tulimus clauem scientiæ, & claudimus regnum cœlorum aduersus homines, neque nos intrantes, neque illos facientes intrare? Non ne & nos circuimus mare & aridam, vt faciamus vnum proselytum; & cum fuerit factus, facimus eum filium geennæ duplo quàm nos? Nonne & nos sumus cęci excolantes culicem, camelum autem glutientes? Nonne & nos decimamus rutam, & mentam, & omne olus, & præterimus iudicium, & charitatem Dei? Nonne & nos sumus vt monumenta, quę non parent; cum extrinsecus quidem appareamus iusti hominibus, intus autē pleni simus hypocrysi, &

Esa. 29.

Matt. 23.

Matt. 23.

Lu. 11.

iniquitate? An non & nos ędificamus sepulchra martyrũ, & ornamus monumenta apostolorum; & similes eorum sumus, qui illos occiderunt? Ecquis igitur non plorabit nos tàm miserè affectos? Ecquis nõ lugebit nostrã tàm grauem captiuitatem? Propterea qui filii illi Sion inclyti eramus, reputati sumus in vasa testea: propterea obscuratum est aurum: alienatum est argentum bonum: propterea qui nazarei illi Sion eramus niue splẽdidiores, facti sumus vt Aethiopes; qui lacte candidiores; atramentũ nigore vicimus. Ideo facies nostra denigrata est super carbones: qui nutriebamur in coccineis, amplexati sumus stercora; & maior effecta est iniquitas nostra, quàm iniquitates Sodomorũ. Propterea ex filiis diei & lucis facti sumus filii noctis, & tenebrarum. propterea qui filii eramus altissimi; vt homines morimur; & vt vnus principũ cadimus. Propterea traditi sumus in manus inimicorũ iniquorum, ferorum, inquã, dæmonũ; & regi iniusto, & pessimo vltra omnem terrã, idest horũ principi. Scilicet peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus violantes mandata domini Dei nostri, & conculcantes filium Dei, & sanguinem testamenti communem ducentes. Verum ne tradas nos in finem propter nomen tuum domine, neque antiques testamentum tuum, neque auertas misericordiam tuam à nobis propter miserationes tuas pater noster, qui es in cœlis, & per viscera vnigeniti filii tui, & propter misericordiam Sancti tui spiritus. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; sed cito anticipent nos misericordiæ tuæ Domine, quoniam valde mendici sumus. Fer nobis auxiliũ Saluator noster: propter gloriam nominis tui Domine eripe nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuũ, memor primitiarum carnis nostræ; quã cũ ex nobis amore hominũ adductus suscepisset vnigenitus filius tuus, pro nobis habet in cęlis; vt nobis firmã, ac stabilẽ salutis spẽ largiatur; ne desperatione deteriores euadamus. Per honoratũ ipsius sanguinẽ, quem pro mũdi uita effudit, per sanctos ipsius Apostolos, & martyres, qui pro ipsius nomine sanguinem suum fuderunt, per sanctos prophetas, & patres, & patriarchas, qui omni studio placere tuo sancto nomini

Thren. 4. *Psal. 81.* *Dan. 8.* *Dan. 9.* *Heb. 10.* *Psal. 78.* *Merita sanctorum.*

nomini contenderunt, ne despicias deprecationem nostrã Domine, neque derelinquas nos in finem. Non enim in nostris iustificationibus confidimus, sed in misericordia tua, qua genus nostrum seruas; supplices obsecramus bonitatem tuam, vt ne in iudicium nobis fiat mysteriũ illud, quod ab vnigenito filio tuo ad salutem nobis est dispensatum; & ne proiicias nos à facie tua, ne abomineris indignitatem nostram; sed miserere nostri secundũ magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates nostras; vt sine condemnatione accedentes ad conspectum sanctę gloriæ tuę digni fiamus, qui protegamur ab vnigenito filio tuo; neque perinde, ac mancipia peccati, reprobi fiamus. Hem Domine, omnipotens domine exaudi deprecationem nostram; quòd præter te alium nescimus, nomen tuum inuocamus. Tu enim es, qui omnia operaris in omnibus; & à te auxilium poscimus cõuertere igitur de cœlo domine, & vide de domo sancta tuá, & glorię tuę. Vbi est Zelus tuus, & fortitudo tua? vbi est multitudo misericordiæ tuæ, & miserationum tuarum; qua substentasti prolapsiones nostras? tu enim es pater noster quia Abraham non cognouit nos: sed tu domine pater noster, libera nos. A principio nomẽ tuum super nos est, & vnigeniti filii tui, & sancti spiritus tui. Quare seduxisti nos Domine à via tua, non erudiens nos virga iudiciorum tuorum? Cur indurasti corda nostra, ne timeremus te? dereliquisti nos errori, effrenato, & exlegi. Cõuertere domine propter seruos tuos, propter sanctam ecclesiam tuã; propter omnes, qui à seculo sunt, sanctos tuos, vt hæreditate possideamus modicum sancti mõtis tui. Aduersarii nostri conculcauerunt sanctuarium tuum. Facti sumus quasi à principio, cum non dominareris nostri, neque inuocatum esset nomen tuum super nos. Si aperueris cœlum, tremor apprehendet ex te montes, & liquescent sicut cera à facie ignis; & comburet ignis aduersarios; & terribile erit nomẽ tuum in aduersariis. Cum feceris gloriosa, tremor apprehendet ex te montes. á seculo non audiuimus, neque oculi nostri viderunt Deum absque te, & opera tua, quæ facies

Daniel. 9.

1. Cor. 15

Esa. 63.

Es. 64.

Ita D. Hieronymus in commentarijs.

expectātibus misericordiam. Occurrent.n. facientibus iustitiam, & viarum tuarum recordabuntur. Ecce tu iratus es, & nos peccauimus; potius autem nos peccauimus, & tu iratus es. Idcirco errauimus, & facti sumus, quasi immundi omnes nos; vt pannus sedentis omnis nostra iustitia. Et defluximus quasi folia propter iniquitates nostras: sicut vētus auferet nos, & non est qui inuocet nomen tuum, & qui recordatus apprehendat te; & auertisti faciem tuam à nobis & tradidisti nos propter iniquitates nostras. Et nunc Domine pater noster es tu; nos autem lutum, opus manuum tuarum omnes. ne irascaris nobis Domine nimis, & ne in tempore memineris peccatorum nostrorum. Et nunc respice, quoniam populus tuus omnes nos. Ciuitas Sancti tui facta est deserta Sion; quasi solitudo facta est Hierusalem, in maledictionem domus: Sanctuarium nostrum & gloria, cui benedixerunt patres nostri, facta est igne combusta, & omnia gloriosa nostra conciderunt. Et super omnibus his sustinuisti domine, & tacuisti, & humiliasti nos valde Typicè quidem acciderunt hæc antiquo populo tuo; verè autem nunc in nobis impleta sunt. & facti sumus opprobrium vicinis nostris dæmonibus, derisio, & subsannatio his, qui in circuitu nostro sunt. Sed respice è cœlo, & vide, & salua nos propter nomen sanctum tuum, & notas fac nobis fallacias aduersariorum nostrorum, & libera nos à machinamentis ipsorum, neque auertas à nobis auxilium tuum; quandoquidem nos minime idonei sumus, qui obstantia vincamus. Tu verò potens es ad dandam nobis salutem ex omnibus inimicis: salua nos domine ex huius mundi molestiis secundum bonitatem tuam, vt in conscientia pura pelagus huius vitæ tranantes, digni efficiamur sempiterna vita sine crimine, atque integri sistentes nos horribili, ac terribili tribunali tuo. Hæc omnia cum audisset Frater, validèque compunctus esset; cum lachrymis dixit Seni. F. Quantum video Pater, nulla mihi reliqua est salutis spes. Iniquitates enim meę supergressę sunt caput meum. Sed rogo te; expone, quid mihi agendum putes. S. Salutem consequi apud homines quidem nefas. At apud Deum omnia possibilia sunt.

Ps. 78

Matt. 19.

sunt; ut ipse dixit Dominus. Preoccupemus igitur faciem eius in confessione, adoremus, & procidamus ante Deum, & ploremus coram Domino, qui fecit nos, quoniam ipse est Deus noster. Et audiemus ipsum ex ore Esaiæ ita loquentem. [Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris] & rursus [Numquid non potest manus Domini, saluos facere, aut aggrauata est auris eius, vt non exaudiat? sed peccata vestra separant inter vos, & Deum; & propter peccata vestra auertit faciem suam, ut non misereatur.] Quamobrē inquit. [Lauamini, mundi estote, auferte improbitates vestras ab animabus vestris coram oculis meis. Quiescite agere peruerse disciite benefacere. Querite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam; & venite, & disputemus, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt pheniceum, quasi niuem dealbabo, & si fuerint, ut coccinum, quasi lanam dealbabo. Ac si volueritis, & audieritis me, bona terrę comedetis. os enim Domini loquutum est hæc.] Et rursus per Ioelem hęc inquit. [Conuertimini ad me in toto corde vestro; in Ieiunio, & fletu, & planctu. Scindite corda uestra, & non vestimenta vestra: misericors enim & miserator est Dominus, & pœnitentiam agens super malis] Ad Ezechielem verò. [Fili hominis dic ad domum Israel. sic loquuti estis dicentes peccata nostra, & iniquitates nostrę super nos sunt, & in ipsis tabescimus, & quo modo viuemus? Dic ad eos, viuo ego dicit Dominus. Nolo mortem impii, sed vt reuertatur à via sua, & viuat. Conuersione conuertimini à via vestra; & quare moriemini domus Israel?] Tertius verò regum liber præstantiam diuinę bonitatis demonstrans hęc narrat, cum Achab descendens in vineam Naboth, quam illo per Iezabelem interfecto possederat, audisset verba Helię dicentis. [Hæc autem dicit Dominus. occidisti, & possedisti; & in loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, ibi canes lingent quoque sanguinem tuum. Et canes comędent Iezabel in antemurali Iezrael. Itaque cum audisset Achab sermones istos; scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauit, & dormiuit in sacco. Et factus est sermo Domini ad He

Esa. 30. apud 70. & 59. — *C. 1.* — *C. 2.* — *C. 33.* — *C. 21.* — *3. Reg 21.*

liam dicens: Nonne audisti Achab humiliatum coram me non inducam malum in diebus eius] Dauid autem inquit,
Ps. 31. [notum feci peccatum meum, & iniquitatem meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam, Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno & in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.] In
Matt. 3. de Ioan. ibidem 18. Euangelio autem Dominus. [Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquauit enim regnum cœlorum] Petro autem interroganti, quoties in die si peccet in me frater meus, dimittam ei? vsque septies? respondet ille, qui naturâ bonus est, & incomparabilis in bonitate [non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.] Quid huic bonitati par inueniri potest. Quid cùm hac humanitate conferri valeat? cognoscentes igitur timorem domini, ac prçterea bonitatem, humanitatemque ipsius cùm ex vetere, tùm ex nouo testamento, conuertamur ex toto corde nostro. Et cur nos
Ia. tobi. 4. imus perditũ fratres? Mundemus manus, qui peccatores sumus obsecro, & purificemus corda nostra duplices animo; miseriam nostram agnoscamus, lugeamus, ploremus ob peccata nostra; deponamus improbitates nostras, fidem habeamus promissionibus domini: timeamus illius minas; amemus inter nos ex toto corde; usurpemus vocem istam, fratres nostri, etiam erga eos, qui nos odio prosequuntur, atque auersantur; vt nomen Domini glorificetur, & appareat in lçtitia sua. Demus nobis mutuam veniam, dum per nos vicissim tentamur, vt pote qui omnes à communi hoste oppugnemur: resistamus cogitationibus nostris, deum in auxilium aduocantes; fugemus, atque eiiciamus è nobis improbos, impurosque spiritus; subiiciamus carnem spiritui, eam laboribus, atque çrumnis omnibus deprimentes atque in seruitutem redigentes; mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis, & spiritus; excitemus nos mutuo, atque acuamus ad charitatem, & bona opera; ne inuideamus inter nos, neque si nobis inuideatur, effçremur; sed potius mutua nos misericordia, atque indulgentia prosequamur; ac per mutuam humilitatem uitiis nostris me-
deamur

deamur; ne nos mutuis maledictis, ac scommatis proscindamus: sumus enim membra alter alterius. Socordiam, ac negligentiam excutiamus; ac fortiter stemus contra spiritus nequitiæ decertantes; & habebimus aduocatum Iesum Christum iustum ad patrem, ipse est propitiatio pro peccatis nostris; obsecremus ipsum in puro corde ex tota anima nostra, & nobis dimittit peccata nostra; quoniam propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, & voluntatem timentium se faciet, & deprecationem ipsorum exaudiet, & saluabit eos. Quamobrem inquit, [Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et inuocabis me in die tribulationis tuæ, eruam te, & glorificabis me] Esaias verò rursus [Solue omnem colligaturam iniquitatis: dissolue obligationes violentarum cautionum: Dimitte fractos in remissionem, & omnem scripturam iniquam conscinde. Frange esurienti panem tuum, & pauperes sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, operi, & domesticos seminis tui ne despexeris. Tunc erumpet matutinum lumen tuum, & sanitates tuæ cito orientur, & præibit in conspectu tuo iustitia tua, & gloria Dei circundabit te.] Tantumne? imo uerò, & alia. [Tunc clamabis, & Deus exaudiet te: adhuc loquente te dicet, Ecce adsum. Tunc orietur in tenebris lumen tuum, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et erit Deus tuus tecum semper, & impleberis sicut desiderat anima tua.] Vides, ut soluendis cordibus nostris ab omni iniustitiæ vinculo, & à plexu illo memoriæ iniuriarum acceptarum, operàque ex animo dandà, vt proximo benignè faciamus, lumine cognitionis Dei circumfulgemus, ac turpibus perturbationibus liberamur, atque omni virtute implemur, & gloria Dei splendescimus, & ab omni inscitia vendicamur; atque orantes celeriter exoramus; & nobiscum perpetuò Deum habebimus; omnisque nostra auiditas per Deum implebitur? Amemus igitur inter nos; & amamur à Deo; mutuam nos nostram tolerantiam, ac patientiam adhibeamus, & suā in peccatis nostris adhibebit Deus: malum pro malo ne reddamus; & non recipiemus mercedem secundum pec-

cata

Marginal notes: 1. Io. 2. (beside "Iesum"); Ps. 144. (beside "anima"); Ps. 49. (beside "redde al-"); C. 58. (beside "Solue om")

cata nostra. Veniam enim peccatis nostris, venia fratribus danda inuenimus. Et misericordia Dei in eleemosyna erga proximum inclusa latet. Propterea dominus dicebat. [Dimittite & dimittetur vobis: & si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis pater cœlestis delicta vestra] & rursus [Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; & qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis] Ita prębuit nobis dominus rationem expediendę salutis, deditque nobis potestatem filios Dei fieri; vt posthac iam in ipsa nostra voluntate sita sit salus nostra. Demus igitur nos Domino integrè; ut ipsum viciſſim integrum accipiamus; fiamus Dii per ipsum. Eò enim factus est homo, cũ naturà Deus esset, & dominus: ei dicto audientes simus; atque ipse facillimè vlciscetur inimicos nostros. [Si populus meus audisset me, inquit; si Israel in viis meis ambulasset; pro nihilo inimicos eorum humiliassem, & supra tribulantes eos misissem manum meam. Omnem spem nostram in vno illo collocemus, & omnem curam nostram in illum proiiciamus; & ipse ex omni tribulatione eripiet nos, & per omnem vitam nostram ipse nos enutriet: omnes quidem homines ex animo diligamus; at in hominũ nemine spem figamus. Nam quandiu Dominus tuetur nos; & amici omnes nos amplexantur, & inimici omnes aduersus nos potestatem nocendi amittunt. Cum primum verò Dominus nos destituerit; tunc neque vllus amicus est, à quo non deseramur; & inimici omnes aduersus nos pollent, vigentque. Verum & qui in seipso confidit; maximas ruinas edet. Timens autem Dominum exaltabitur. Propterea dicebat Dauid[Nõ enim in arcu meo sperabo, neq; gladius meus saluabit me. Saluasti enim nos ex omnibus tribulantibus nos, & odientes nos confudisti.] Non admittamus ratiocinationes minuentes peccata nostra, & vaticinantes illorũ factam iam esse remiſſionem. De istis enim cautos nos reddens Dominus dicebat. [Attendite vobis à falsis prophetis, qui venient ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces] Quamdiu enim mens nostra à peccato turbatur; nondum illius remiſſionem consequuti sumus: nondũ enim fructus dignos

Matt. 6. & 9.

Quomodo in nobis sit saluõs fieri

Psal. 80.

Psal. 43.

contra inanem fiduciam.

Matt. 7.

dignos pęnitentię fecimus. Fructus enim pęnitentię est vacuitas perturbationum: vacuitas autem ista, extinctio peccati: nondũ verò vacuitatem istam perfectam adęptisumus dum interdum quidem oppugnamur à perturbationibus; interdum verò inducias facimus. Ergo neque perfectã peccatorum remissionem adęptisumus. Nam à peccato quidẽ illo, quod ex parentibus contraximus, per sanctum Baptisma liberati sumus: at ab eo, quod post baptisma in nobis admisimus, per pęnitentiam liberamur. Germanam igitur pœnitentiam adhibeamus; vt á perturbationibus liberati peccatorum remissionem consequamur. Despiciamus caduca hæc, & fragilia; ne ipsorum causà cum hominibus pugnantes mandatum charitatis violemus, atque ex Dei charitate decidamus. Spiritu ambulemus, & cupiditatem carnis ne perficiamus, vigilemus, sobrii simus; abiiciamus post hac negligentiæ somnum: æmulemur sanctos athletas saluatoris; imitemur ipsorum concertationes, eorum, quę retrò sunt, obliti, in anteriora nos ipsos extendentes. Imitemur perpetuum illorum cursum, ardentem charitatẽ, continentiæ tolerantiam, temperantię sanctitatem, generosam patientiam, omnia ferentem longanimitatem, luctum ex alienorum malorum consensu, quietam lenitatem, flagrantem zelum, charitatem non fictam, excelsam humilitatem, simplicem pauperiem, fortitudinem, benignitatem, probitatem: ne supini indormiamus voluptatibus; ne tumescamus ratiocinationibus; ne inquinemus conscientiam, pacem cum omnibus sectemur, & sanctitatem, sine qua nemo videbit Dominum. Pręterea verò mundum fugiamus fratres, mundiq; principem. Missam faciamus carnem, & carnalia. ad cœlum intento cursu properemus; ibi sit nostra conuersatio; diuinum Apostolum imitemur; ducem vitæ suscipiamus; fonte vitę fruamur; cum Archangelis hymnos canamus domino, & Deo nostro Iesu Christo. Ipsi gloria, & imperium simulque Patri vná cum Sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.

Operarum quidem errata non pauca intelligentis lectoris diligentiæ corrigenda relinquimus; nostra uerò, quæ multo plura fortasse sunt, excusanda humanitati.

Series Chartarum.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn.

Omnes sunt duerniones præter ✠ & Nn qui sunt terniones.




ROMÆ Apud Iosephum de Angelis.

M. D. LXXVIII.

[illegible] Chartarum.

[illegible]

Omnes sunt quaterniones praeter ✠ & Ll. qui sunt terniones.



[illegible]

D. LXXVIII.

